



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm  
Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Pars Altera Libri XVIII

**Ripamonti, Giuseppe**

**Mediolani, 1625**

Liber Decimusquintus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11182**



JOSEPHI RIPAMONTII  
ECOLLEGIO AMBROSIANO  
HISTORIARVM  
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Decimusquintus.



OV A hinc & continua circa Metropolim bella exsequar, quorum pars minima erunt Sforciaceae Domus reliquiae; resque agetur inter maximos duos orbis terrarum Reges, interiecto superstite adhuc vno exuleque Sforcia, dum restituitur iste, arceturue urbe, quae Caesarum primò sedes fuerat, deinde usurpata libertate, rebellis eorum & inimica, dein, domesticos intertumultus, serua ciuiū suorum, tū ab alienigena domino rapta & occupata, nunc demum egesta paullatim tyrannide redigebatur ad iura veteris Imperij, & magnitudine sua Carolus Caesar, hoc Insubriae Regnum, parta nobis in perpetuum securitate, Domini stirpiq; suac assignaturus erat. Ac veluti aequitatis

tis etiam fama diuinitus pararetur exsurgentij tunc ad Catholicae Religionis tutelam Imperio, Austriaca arma prius reduxere extorrem Sforciam, deinde, postquam orbitate eius & senecta, res adhuc Mediolanensis ad externa vel intestina pericula prolabebatur, insuperq; suspecta fides, & ingratus erga tantum beneficium animus offendebat, quasi perfidiam vlcisce-rentur, in cundem incubuere. Gallus tamen etiam ipse, sua iura suaq; actiones, & veterum matrimoniorum vocabula habebat, aliae firmamenta causæ, quae nunquam Regibus desunt. Dabant & fama Rex uterque, patiebanturq; diuulgari tamquam arca-num, id quod potius regere ipsi ac dissimulare debuissent, si causa vtique belli ea esset. Angi scilicet ipsos mutua inuidia & aemulatione potētiae; ideo, quicquid gereret tentaretur alter, alteri id esse impe-diendum; famaq; ista volentibus etiam ipsi, ciuitatumq; subiectarum, quae cum Metropoli sua Imperium aliud omne comparatione opportunitatum eleuare, ac minuere per se viderentur, etiam si nulla Imperitantibus aemulatio esset. Sed antequam certamina haec duorum Regum, & infestiora pene inter ipsos consilia quam arma, stratosq; Gallorum aceruis Insubriae campos, Regias quoq; captiuit ates, atq; de vrbe nostra dum dimicatur, collatos in prouinciam acetatemq; vnam, seculorum & terrarum prope omnium calus; haec antequam narrare aggrediar, Ec-clesiac

clesiae Ambrosianae prius statum, qualis inter calamitates, vel exhaustas iam, vel exhauiendas ille facit, repetam. Caput regimenq; iam inde ab Hippolyto Estense sacris abfuerat rebus, & Estensis ipse, Gallica legatione, paterna eq; fortunae superbia semper absens, per conductos aliunde ministros, totum id pastorale munus obicerat. Ita facta erat Ecclesia ceu p̄fani populi coetus aliquis, populusq; ipse peregrinitate infusa colluuiē quodāmodo barbarorū refrebat. Namq; Borbonius, & Odettus, & postea Lotrecus, & alij, qui pro Regibus suis res administrauere Insulam, homines innutriti ferro, & militares violentias, omniaq; exercituum flagitia specioso necessitatum nomine appellare soliti, praedandi constuprandique licentiam, ceu stipendia praemiumue laborum militi ducibusq; & praefectis, & fortaste sibimet ipsis offerebant eadem licentia. Miles ex variarum colluione gentium, procul ab domo, procul ab sincerae religionis cultu, & longa egestate efferratus, etiam sub seuerio imperio praeceps ad scelera, contumaxque aduersus omnia quae coercēdis flagitiis ex cogitata sunt. Terra profecto haec haud immerito flos dicta terrarum aliarum, & amoenus hic opulentusque populus, atque per monasteria, per templa, tantum pretiosae supelle&tilis, tantum sacrati auri vel argenti, non leue incitamentum militaribus iniurijs esse potuerant, etiam si tam crebræ illae mutationes instabilesq; viatoris, & alias ex alio dominatus, haud perinde immitem audiuntq; hostem inuenissent. Quanta igitur materies

materies iniuriarum laevitiaeque; in Metropoli erat, et  
modis barbari desecuere in urbem, quae si sua armæ  
haberet, poterat tremenda esse illis; tunc a missis vna  
cum principe armis, obtorpuerat metu, oderatq; si-  
mul, & seruiebat, & lacerabatur. Domus & fortu-  
nae singulorum ciuium aliquandiu suffecere furoris  
primisq; diebus, & rapiebatur inde quicquid ad splé-  
dorem vsumque penatibus adest honestis solet, & post-  
quam auaritiæ satisfactum erat, libidinem aliam  
corpora explebant. Mox utriusque libidinis cau-  
sa, rerum scilicet corporūq; sacrata claustra perfrin-  
gebantur. Virgines incolae, vitando dedecori omis-  
sa rerum cura petebant longinquos abditosue fecel-  
sus; & pudoris olim sanctimoniacæq; domicilia turpis  
inquilinus profanabat. In re utique illa sexus infir-  
mioris, tanta petulantia eius externæ tyrannidis fuit,  
ut quamquam ablatis, sicut dixi, armis, conciderant  
animi ciuium, egregia tamen facinora ediderint viri  
feminaeq; vel in ipsa dedecoris patientia, vel ne dede-  
cuss parentur, vel ut vindicarent, postquam passi  
erant. Nam aut pater, fraterue, maritusue, cui filiā,  
vel sororem, vxoremque temerauerat barbarus, aut  
mulieres ipsæ petitæ ad flagitium, verso in rabicem  
dolore, constupratores adulterosque suos, vel dum  
concepta turpiter libidine aestuant, imminentque  
sceleri, vel ubi iam victrix impudicitia frustra relu-  
& antes ipsas expugnarat, interfecere. Diripuit ab in-  
sultantis latere pugionem vna infelix puella, iugu-  
lumq. eiusdem hausit, & simul, ab moribundo ipsa iug-  
ulata

D dddd gulata

gulata est. Tardior ad vindicandam iniuriam, sed felicior alia deuoluit e fenestra graue pondus, ita ut elli capite concideret stuprator in limine domus, cui recentem labem intulerat, labesq simul ipsa deleretur. Aliqua sibi intulit vim exanimisq. collapsa horrere confudit impudicum. Inexsuperabili declinatione recusabat alia, donec ab irato eodem & impudico obtruncaretur. Et mulierum nostrarum aduersus barbaricas turpitudines flagitia quidem huiusmodi fuere. At viri, quos in communi calamitate proprius aliquis eiusmodi iniuriarum attingebat dolor, sicuti viros, sicuti Mediolanenses decebat, egere, passimque in cloacis & ad loca spurciora reperiebantur exanimes barbari, suo mandentes ore ea per quae peccaran. Quod foedum ac turpe dictu retuli tamen ad omnis impudicitiae terrorem; exemplumq. prodit ac memorari istud ipsa rei indignitas postulabat. Non enim homines illi amatorijs ullis obsequijs artibusue quaerebant sibi aditum, si cuius forte formam adamassent; sed qualia mulierum traspinatarum ingenia sub comitatis nomine aluntur, tales cum apud nos esse sexum rati, pecudum ritu iruebant. Tantaq. ea protervia fuit, ut iuuenes nostri, non ferentes ignominiam, irrumperent in regiorum domos, vxoresq. & filias eorum raperent vicissim & mancipijs suis polluendas darent. Hae vices reddebantur; unde irritatis dominantium animis, miserior quotidie conditio seruentium siebat. Sed in eo insolentiae libidinumq: certamine, non aberat plebi di-

uersum

uerum aliud contrariumq. malum famae, quae apud  
perditam intestabilemq. mulierculam in saeuitiae  
diu inauditae exemplum excessit. Isabella nomen  
fuit vni, quae vagos per vicinā infantes puerulosue  
excipiebat, & dissectos in frusta cōditosq. sale vorabat  
clam absque ullo feralis cibi horrore sicuti carnes a-  
liae manducantur. Ea, nonnullas falsamenti eius  
ollas, cūm domi haberet, accidit fortè, hoc, ut felis  
quod animal avidissime vñcta omnia persequitur, ex-  
tractam ex olla puerilem vnam manum circumfer-  
set absq. flagitiū intellectu, proximamq; ei carnifici-  
nac domum intrareret, ex qua domo subtraētam pau-  
lo antea infantem secuerat Isabella asseruaretq. Et  
eoeca omnis erat conjectura parentibus, quidnam  
factum de puella foret, quoue per errorem delata es-  
set. Inter querelas anxietatemq. perquirendae In-  
fantis, conspecta pecude, quae conceptam ore dex-  
tellam ferebat, indicium primò id arripuere, dein ve-  
stigia bestiolae obseruantes, dirum subiere tectum,  
atq. ibi diuerticula omnia perscrutādō reperere quas  
dixi ollas, & separatā inollā nondum plane concisam  
inphantem suam. Confusae adhuc oris notae cerne-  
bantur, & comprehensa protinus venefica, nec sane  
inficiata quicquam, in rotam agitur, deinde crematur.  
Catharinae Seronae (id puellae nomen) lacera mem-  
bra composita puerili tumulo, ad D. Mariae Secretae  
valuas in Supero limine collocantur, atrocemq. casū  
tabula subiecta narravit. Atrox namq. visum Gal-  
lico quoq. magistratui, pœnasq. cūm expetiissent,

D dddd 2 memo-

memoriā etiam prodidere. Ceterū, toto illo Gallici dominatus tempore, quod fuit annorum circiter duodecim, sicuti ius omne vitae cōmuni, ut demonstravi, intercederat, ita Sacerorum quoq. iura sublata & oppressa erant; ac praecipua violentia Lotrecus aduersus Ecclesiae maiestatem, omnia, quae continentur Apostolico imperio, Pontificumq. nutu, sumpterat sibi & usurparat. Ille sacerdotia demandare quibus velle, iniçere Sacerdotibus manus, fortunas & alimenta, & hereditates eorum arbitratu suo dispensare, contemptor diuinarum legū & irrlor si quid ab Roma denuntiaretur. Sed ne Clericorum quidē interim instituta & mores erant Mediolani secus atq. tam importunae dominationis vi partem etiam consumpi hanc necesse consentaneumue erat. Non modestia coloreq. vestitus distinguebatur is ordo à ceteris; ad Templa negligenter & incondite agebāt; ac si recta eorum ingredere, mariri parentesq. vocitabantur. Nec multò plus litterarum in unoquoque reperires, quam in patre familias & opifice sordidae artis. Quotus quisque crederet, aut hunc illū esse Clerum, qui artium optimarum studijs, & vitae sanctimonia cunctis per Italiam gentibus ad Ecclesiasticae disciplinae perfectionem antea praeluxisset, aut Cleri famam eiusdem ab maiore mox gloria per terras omnis esse dissipandam? Tunc vtique, vel sua, vel aetatis, vel imperitantium culpa miser absurdusque repente factus erat. Quis verò etiam crederet, in tam perditis rebus, tamque profligato & desperato

desperato vrbis statu, aut posse vlla mortalium pe-  
 tora concipere spiritum ullum pietatis, aut si quae  
 pietas hinc Celum pulsaret, locum ibi aditumq; esse  
 inuenturam? Atamen, siue parante Deo praefidia  
 vrbis salutemq; rebus ex vrbre ipsa, siue hominibus  
 ipsis, quemadmodum in periculo, vel metu consue-  
 uere, propitiare annientibus Numen, & quærentibus  
 placamenta aliqua diuinæ irac, constat pleraque per  
 tempus illud funestum esse instituta & facta Medio-  
 lani pie ac religiose, qualia vel in florentissima pace  
 fierent atq; instituerentur. Nam primùm omnium,  
 cùm ad D. Ambrosij subterraneam Aedem opis ex-  
 poscendae causa frequentissime à ciuibus iretur, &  
 inter piacula alia, largae quotidie stipes egenis circu-  
 ea claustra certatim dariuntur; paulatim ea tumultua-  
 ria pietas in ordinem disciplinamq; adducta est, ac  
 sub eius subterraneae Aedis nomine, factum aerariū,  
 quod subsidio pauperibus esset. Ab eadem publica  
 trepidatione, initijsq; ijdem propagata fuit alia su-  
 bleuandæ egredi societas ad claustra D. Marci, fa-  
 &aq; sodalitio sedes ibi in Aedicula, quac Crucifixi  
 dicitur. Crescente dein fama & autoritate sodali-  
 tij eius, cùm principes etiam vrbis nomina illuc da-  
 rent, Franciscum quoq; Regem cum Claudia vx ore  
 & filijs duobus adscriptū inter ceteros lego. Namq;  
 Regi ei Francisco, super ornamenta cetera, queis in-  
 ter alios vrbis nostræ Reges aut Duces cùm bona re-  
 cordatione coli nomen eius possit, adfuerat etiam  
 pietas generosa, & syncera, & digna Christianissimo

Rege

Rege, non callida & infelix illa, ancilla necessitatum  
Regni, ludibriū populis, ingratā Deo, fraudum co-  
mes, vel fraus potius ipsa. Portenta, quae sub breui  
illius imperio viderat ciuitas, & calamitates infan-  
dæ, quæ se o per ministros h̄ic imperitante pertule-  
ramus, imputari debent bello, nec omnia Gallorum  
genti, sed gentibus simul alijs, quæ in expeditionem  
eam secutæ Gallos, & victoriae imperijque partici-  
pes, vagæ per prouinciam, immixtæ per urbem,  
barbarica libidine simul & nuditate & violentia &  
contemptu religionum turpiter & crudeliter, impie-  
que latrocinabantur. Semper ista quidem exercituū  
victoriarumq. omnium fuere, nec miles postea Cac-  
sar is in sua victoria continentior fuit. Praefectorū  
qui etiam ducumue Gallorum, sicut impotentes &  
disoluti aliqui fuerant, ita nōnulli specimen criminis  
Religionis, vereq; Catholici sensu edidere. Sed in  
recenti crebrisq. mutationibus obnoxio imperio, in  
atrocibus bellis, in infida pace, in terra aliena, mistum  
ex pluribus gentibus exercitum, eumq; aut exultan-  
tem parta nuper victoria, aut mox educendum in  
aciem, coercere difficile fuerit etiam in regno mode-  
ratoq. Duci, qui, vel nullos, vel sibi concordes Imperij  
collegas habeat. In Gallia multitudine, praeter  
turbæ militatis effrenem intemperantiam dis-  
cordia quoq. & dissimilitudo ducum, & eorum in-  
ter ipsos, tum virtus, tum virtutes aggrauabant rem,  
populusq. interim & Ecclesia Mediolanensis plebe-  
batur. Ceterū, Jacobus Tullius, & Gaston, &  
Cardinalis

Cardinalis Seduncensis, & Octavianus Maria, Laudensis Episcopus, qui tenente Insubriam Gallo pro Regibus illis vrbē exercitūq. & Imperij summā apud nos aliquādiu administrauerē, potuerāt nataliū quisque suorum magnitudine, vel sacri honoris verecūdia, vel indole etiam animorum ita esse affe&i, vt nihil indignitatis, nihil iniuriarum admitterent admittitue ab aliis paterentur. Gastonis certe qui Galliae Regi sororis filius, & Triultio particeps in administratione rerum fuit, tum res gestae mirifice ac diuinitus, & insigni ad Rauennam victoria mors clarior, tum verò post mortem impensa cura in monumentum ei sumptu faciendum, & eius monumenti marmora irrita quae apud D. Marthae virginis existant; haec omnia credere prohibent, sordidum aut humile, irreligiosumue quicquam adfuisse ei vt ad infanda illa connueret. At huius Patriae ciuis Triultius, ob exortas ei cum Ludouico Sforcia inimicitias transgressus in Galliam, & summa ibi adeptus indeq. cum imperio redditus vrbī, debuit caritate respicere aliqua nativā tellurem ne externa militari violentia diripi sic ac fœdari eam pateretur, si utique ad tantos inhibendos impetus valeret vlla potestas, vel certe si inhiberi eos potestati expediret cuius firmamenta iniuriae illae habebantur. Is origine Mediolanensis, transitione Gallus homo, cùm in nouo imperio potens rerum ferme omnium esset, viciesq. cum hoste pugnaslet, & par fere numerus viatoriarum eius celebraretur, tactus ad extremum defiderio

fiderio patriae , quae naturalis cuiq. mollitudo est, in ea Coemeterij Nazariani parte, quae Paradisus dicitur , sepulturæ locum sibi & posteris elegit sicuti alte suspensa illic hodie coenotaphia Triuitiorum cernuntur . Sacellum id dicauit Mariae Virginis vietrici, restatus hoc ipso, quod res prospere gestas ad eam referret ; addiditq. sacrorum cultum , praedia, & pecuniae summam, & mystas septem, & alia quorum hodie vix vlla pars manet . Parum attinuerat excoluisse pijs operibus in mortis tempora urbem, quae viuente ac præsidente eo ingemuerat . Sed ne capita quidem beata præsentium indigenarumq; sanctorū, vitæ arcuere, quaetunc Mediolani saeuiebat . Habuit enim etiam actas illa celestis animas, quae furente in Metropolim tempestate, latenteis in occulto , acceptæ Numini , ignotæ mortalibus, & seculo dignæ meliore , exitum quidem suis meritis ab Rep. prohibuere ultimū, non tamen ea, quae dixi mala auerterunt . Monasteriū, quod D. Manhac nuncupatur, est venerandæ in vrbe antiquitatis, etiā ob incorruptam ob origine sui famā, & nullo vnoquā susurro, nullaue suspicione violatos virginū eorum honores longe venerabilius ; ipsoque Gallicarum importunitatum tempore, cum nulla vspiam satis tutta latebra honestati esset , nihil omnino labis intra claustra illa fuisse illatum constat, nihil ueristiū cuiquam earum accidisse, dum in agris quoq. sicut fecebant tempora, morarentur . In eo Monasterio fuit Veronica Nigrona , quam Leo X. Francisci Regis rogatu

rogatu ritè Beatam appellavit, cùm sub Pontifice Regeq; illo fama vitae ipsius, & aliud ex alio quotidie miraculum, quamuis occupatos longe diuersis negotijs animos, magnitudine rerum ac nouitate perculisset. Namque statim vbi excessit, secuta signa haec feruntur. Dariae cuiusdam Virginis infanabiles tumores depulsi solo cadaueris contactu Christophoro Laudensi consolidatus humerus, & sanata luxatio cùm is quoque medicinam ab eodem contactu petisset. Virgines duae ordinis eiusdem, amissis ob tumorem incessu, deportatae Mediolanum, impetravere vt admouerentur, & rediere illico ad usum crura. Gallorum etiam unus, qui Mediolanensi praeerat arci, nuncupato ob filiae salutem votio, quād diurna tabes absumentebat, filiaq; ipsa delata illuc, vbi infsepultum adhuc Veronicae corpus concursu ciuitatis frequentabatur, damnatus voti suspendit in Templo D. Marthae pretiosam vestem, & erogato in aliquot solennia sacra sumptu, admirabilem in Sanctis suis diuinam vim publice adorauit. Nec deinde cessatum ab miraculis alijs, quamdiū corpus exsequiarum causa iacuit in feretro, quod spatiū quatridui fuit, vt publicae pietati desiderioque satisficeret; interimque nobilis viri, qui munus sibi illud ambitiose efflagitabant, in Templo excubias egere. Iacobina quedam, cui naturale vitium respirandi difficultas & pectoris angustiae lethaliter ingrauescebat, af-

Eeeee fluente

Anete illuc populo ad spem erecta, simul atque in conspectu cadaveris stetit, sensit meantem libere spiritum, & longo deinde vitae spatio perpetuum ipsa miraculum fuit. Masseolae Glusianensi contractum foede brachium, & elapsi in prauum artus, pari miraculo, motu, & decorem, vimque suam recepere cum infelicia membra corpori beato applicuisse. Et ad intimos quoq; sensus animosq; mortalium penetrante cadaveris eius potentia, fratres duo, qui furialibus accensi odijs, alter alterius haurire sanguinem parabant, condixerantq; locum & diem quo stringerent gladios in mutuam necem, positis repente inimicijs, detestati scelus in sinceram & fraternam vere pacem coaluere, postquam soror eorum Luchina tragicans suac domus abominata calamitatem, flexo iuxta exanimem corpus poplite petierat, ut propulsatrix illa tot malorum, etiam huic imminenti flagitio remedium pararet. At ubi subductum oculis fuerat, humiliq; mandatum id Veronicae corpus, nihilo leuiora impetrabant quisquis recenti adhuc talium rerum memoria spem opemq; eandem tentabat. Paulatim inde, ut nequitia & secordia mortalium est, impietas obliuionem, obliuio dissidentiam genuit, & dum sperare miracula non audent, obtinere desierunt. Sed donec erga virginem admiratio calorque animorum vigebat, singulis ciuibus, ut cuique pia spes, & sine remedio calamitas aliqua erat, Veronicae velut manu salus è Celo mittebatur. Borela Comarchus hac ope repente conualuit e phtisi, quae, cum medicos omnes fati-

fatigasset, pharmaca simul omnia consumpsferat, & experimentis illis irritata inanibus quotidie saeuior fiebat. Tunc inuocata virgine, votisq; nuncupatis, cōspectus scilicet illico est ab lectulo profiliens, & consenso hilare equo per urbem circumiectus esse ferebatur. Isabella Crotta, Blanca Lucia Stanga, Blanca Marcellina, Camillus Falconius, & ingenti agmine alij cūm in malis quisque suis, tutelarem sibi Veronicam aduocassent, exemplo etiam alijs fuere, quō prōptius eadem illa inuocaretur. Captiuo populo, miserae ciuitati, accisis Ecclesiae reb., hoc per ea Gallica tempora subsidium fuit. Quo quidem tempore, in eodem D. Marthae Monasterio, praeter Veronicam hanc, claruere mirifico spiritu ac diuino, Michelina insuper, & Iustina, & Thadea; & harum quoq; enimverò diuersus ab mortalium consuetudine animus, & in hac ipsa mortali vita affinitas cum celo quādam, post quam ab oculis abierte, intellecta est. Sed Veronicae maius nomen, & maiora omnia, per quae nomen venit. Extant Apostolicae litterae Leonis X. per quas D. Marthae Monasterio Pontifex ille conceslit, vt Veronicam apud ordinis eius Templa & aras, ceremonijs, & omni imaginum honore colilicitum esset, eiusq; concessionis diploma Martinus Episcopus Maconensis, Francisci Regis apud Pontificem Max. eo tempore legatus abstulit, cūm haberet hoc ab Rege mandatum, vt negotium id in primis Romae ageret. Nam & Diplomati ipsi exordium id fuit; optasse ista Regem, & preces de ea re suas mandasse Legato. Scilicet

Eeeee 2 in

in maximi belli rerumq; commutandarum destinatio-  
tione & cura, quam coquebant Pontifex & Rex, in  
vastis consilijs, inter mutuas suspiciones, in profundo  
animorum aeftu, qui paulo postea ad hostilē insecta-  
tionem & foedera inimica erupturus erat, tractaban-  
tur inter eos ista & curabantur. Ceterū imminentē  
bello, cuius exitu, Gallorum electio, Galli Regis capti-  
uitas, & nouum ac duraturum Mediolani Imperium  
parabatur, anteceſſere omnia, per quae Numinis in-  
dignatio, & rerum finis barbaro portenderetur. Nam  
praeter ea, quae iam demonstrata sunt mala vrbis,  
perseuerabat Mediolani publica fames, & intermisſo  
per iram atq; persolitudinem agrorum cultu, descen-  
ſum naturali necessitate erat ad animalia etiam ea,  
queis tamen abſtinetur cùm ab legitimo cibatu ad ali-  
menta damnata transire extrema illa calamitas coe-  
git. Et epulis nutritos infelicibus mortales, langui-  
dosq; ſicuti necesse erat, ad ſui defenſionem, lupi fu-  
gituum alias & ſylueſtre animal, tunc immiscere ſe  
ciuibus ausi, corripiebant paſſim, & ſuo trepidantibus  
periculo qui debuerant feras propulsare, depaſcebā-  
tur. Die, autem qui Apostolorum martyrio facer fuit,  
accidit res, quae prodigium videri malorum immi-  
nentium potuerat, niſi malum ipsa grauiffimum habi-  
ta eſſet, ac ſi videretur atrocius expectari poſſe quic-  
quam eo, quod caſus ille tulerat ſecum. Tranquilla,  
& ſerena celi facies erat. Sol emensus orbis nostri  
iter, ad occaſum vergebat alteri mūdo latus facem.  
Pleraque nobilitas, & festo die greges artificum ab

ope-

operib. feriati suis, Clerici quoque, peracto quicquid ad templa peragendum erat, & pilentis vectae suis matronae ditiores cum sobole alia comitatuq; iuuenili, mista nostratisbus alienigenarum paria prout Mediolanensisbus iunxerat Gallorum aliquem seruitij necessitas, vel superbia imperij, consuetudoq; diurna, & familiare commercium etiam inter infensos, cuncti, ut fit, appetente vespera egressi in campum, qui Louis arcii ab interiore parte subiectus, fruitur libero ac patente celo, captabant auras leuamina caloris diurni, perque spatia illa ibant & redibant lente viam, confederantue in herba, siue alicubi corona stantium fiebat. Turba ciuium infelix, quae tantisper fortasse a calamitatibus quiescebat, dum suas ibi calamitates loquitur: hospites saeui, qui tantisper cessauerant ab iniurijs, dum iniuriae materiem circumspetant ibi & prospeculantur, omneis simul repentina celesti casu percussi sunt, siue vt eximerentur malis, quae assidue multiplicia sustinebant, siue in terrorem aut poenam, aut in aliorum salutem, cum exemplo illo impiorum & fine, violentia minor restaret. Volitans celo flamma fulminis in modum cecidit ante portam ipsam arcis, qua sulphurei pulueris cadi complures stabat forte constipati ut nocte illa plaustris aueherentur. His illapsa cadis flamma comprehendit illico voracem ignis materiam, & reboatu ac fragore excitato ingenti traiecit in proximam turrim materiae plenam eiusdem, atq; ibi violentius inter angustias luctando ignes, molem eam a fundamenris repente conuulsam longe

ac

ac late per aera dissipauerunt, ita ut feruida saxa magni ponderis ultra quingentesimum ab arce passum quasi contorta balistis inciderent. Minores lapides longius etiam volitauere. Tunc enim uero, per totum capi spatum strages facta est, qualem, non nisi ab Numinе fieri appareret. Saxa ingruentia e celo capitibus inciderant, priusquam daretur cogitandi tempus undenam venirent. Et quia, e sublimi veniebant, quo flagrante vis eiaculata marmor erat, non fracto sed aucto circa finem impetu, violentia ipsa properoq; exitio moriendi sensum plerisque auferebant. Tristior conditio fuit eorum, qui minore aliquo iactu quassati, ad apto & lacerato ad vitalia capite, per aliquot deinde horas nulla in spe animam trahebant. Ac saeuentibus etiam equis terrore simul & lapidum vi fusae e carpentis mulieres, & pari alienorum equorum consternatione prostratae, apertis quæ tegenda erant, & dum eiulant humi, dum euoluuntur, eadem superne peste multæ perierunt. Virorum quosdam, intellecta clavis origine trepidantes in circumiecta tecta cadens nihilominus vndeque saeuus imber, dum se putat evasisse, oppreslit. Totos & in circulis globos iuuenum venti colloquentes stabant, non lapis unus, grandeum saxonum, sed integra pars ruinæ, sicut abrupta & in altum proiecta deciderat, inuoluit arietavitq; in terram, & quibus citra mortem ruina illa acciderat hi propter mutilata & inutilia membra ceteramque quassationem, ipsis postea mortuis intuidere potuerunt. Perire intra arcem ad centum quinquaginta, prefectus que

que ipse arcis, quam quidem ruinæ contineret ab ea parte, ita nudauerant, ut nisi attoniti eo casu Mediolanenses plane animis concidissent, nihil negotij fuerit, etiam ex tam misero assurgere statu, & magis attonitos fluctuantesque Gallos deicere inde patriamque liberare. Sed pars vtraque in id intenta, quod Numinis iræ tanto principio vltionem aggressæ minitaretur, prope desierat persequi vel timere alteram. Non sane ego nimium vñquam incredibilia & prodigiosa fecutus fuerim, satisque habeam in tradenda hac memoria antiquitatis, si fraudes & miseras ipsorum inter se hominum, vel si quid etiam homines cum laude egerunt, & magnos patriæ casus, qui, vel pace, vel bello euenerent, memorauerim ita ut cum fide accipiantur. Aduersus miracula quidem superbi nimium sœpè sunt animi legentium; atque, ut nostra facile simplicitas, & diuinæ magnitudinis gnara mens conquiescat, non eadem mansuetudo ad credēda ista ciuilibus ingenij erit. Ceterū, approbatam rem aliam Pontificum authoritate traditioneq; communi, & hominibus spectatam illis, qui ad nostram æratē vixerent cū pueri tunc fuissent, transiri atque omitti prohibet teneritudo etiā illa, quam erga res omneis diuinæ habemus. Canobij, qui locus est in Verbani lacus litore, frequenter mercatu, & vetere Borromeæ Domus Comarchia insignis, ibi in publico hospitio, imaginem Christi Salvatoris, quæ ex pariete suspensa pendebat, ferunt, diebus ijsdem, quibus haec Mediolani clades accepta erat, magno repente tremore fremituq; horribili vltro es-

se

se concussam; dein sacrosancti lateris hiatu vim san-  
guinis effusam, qui toto conclaui manaret, resperge-  
retq; adstantes; postremò ab hiatu eodem paruam co-  
stam excidisse; Antistitē Canonicosq; loci & populū  
eum omnem, re nuntiata aduolasse illuc, ac postquam  
suxerint spungijs omnem diligentissime cruorem, so-  
lenni pompa, spungias ipsas, tabulamq; pictam, vna  
cum costa, quae inde prosilierat, templo intulisse. Ad-  
dunt inde miraculum aliud; cùm spungiarum earum  
sanguinisq; contactu diuinitus quotidie multa pa-  
trarentur, & petendae opis causa templum illud vn-  
dique adiretur, mercatorem vnum, die quodam, sacer-  
doti, qui rem diuinam in ea ara faciebat, argenteum  
nummum didisse spungijs costaeque admouendum,  
cumq; ille admouisset, protinus esse occoecatū, haud  
dubie quia mysteria illa tremēda circumforaneo ae-  
re profanarat. Hæc licet prope excedāt fidem, firmā-  
tur tamen eorum testimonio, qui proximi temporibus  
illis fuerunt, & narrantes audiuer eos, qui ip̄i specta-  
culo affuerant, inhoruerantque. Et nostra memoria  
D. Carolus, cùm Dioecesim suo more lustraret, inter-  
rogatis eius orae senioribus, & re comperta quae ac-  
ciderat, cohortatus loci incolas, vt domū eam publi-  
cè coemerent, aream templo designauit ibidē vbi san-  
guis manarāt. Nunc prodigijs omissis, causas & initia  
belli expediam, quod bellum gessere inter se Reges,  
dum vrbis Mediolani vterque imperium trahit; neq;  
originem tantummodo exitumq; cōtentioñis, sed iu-  
ra simul & momenta causæ explicabo, vt intelliga-  
tur

tur, quid aequi, quid inique fuerit in vtraque parte, imperiumq; hoc ipsum, vtri duorum Regum, finita ( quod propediem fore apparebat ) Sforciarum domo, deberetur, etiam si non rerum euentus instar iudicis fuisset. Nam nisi ius in armis pars vtraq; Regio more collocatum haberent, aiebant Regi Franciso homines sui, ipseq; publicè aiebat; autrem Mediolanensem, Insubriaeq; Principatum recuperandum esse sibi, aut Galliae quoq; Regnum omittendum, & parte hac vxoriae hereditatis posse indignum videiri, nisi illam quoq; vindicasset. Quippe Valentianam Ioannis Galeatij filiam auiam suae vxoris, cuius dote haberet Regnum, ea conditione dataim fuisse Ludouico Aurelianensi, ut proles, quae ex ipsa nasceretur, succederet in Mediolanensis Imperij iuria, quandocunque, finita fratribus stirpe, finis successioni Vicecomitum fieret. Conditionem eam, patrumq; nuptiale illud, esse Pontificis maximi auctoritate confirmatum. Id valere perinde ac si Caesar ipse confirmasset, quādoquidem vacua tantisper imperij sede, ratum esse oporteret quicquid in eiusmodi rebus à Pontifice decerneretur. Etiam alia Pontificum decreta, transferendo, siue confirmando beneficiario iuri, quod ius Caesarum Imperatorumque esset, nusquam in controuersiam vocata esse. Bona omnium pace stabiles & legitimos manere principatus, quo scilicet supraemam Sedis Apostolicae potestas, nullo Caesare adiudicarit. Item, Valentinae sanguini datum a patre, confirmatum à Pontifice mu-

F f f f f nus,

nus, Deo hominibus approbantibus, se esse cōseruatū exēplo maiorū suorū Caroli, & Ludouici, quorū alter, post Philippi Mariae Vicecomitis excessum, māternam hereditatem strenue, licet improspere vindicare sit conatus, alter prospere vindicarit, & capto, qui alienum Imperium tenebat, Sforcia, fuerit etiam Apostolico diplomate restitutus in pristina iura, ipse posteriq; eius. Dicebatur contra; Philippi Mariae obitu, qui sine vlla virili stirpe decesisset, rediisse Metropolim in Romani Imperij arbitrium atq; potestatem, vnde olim alienata exciderat. Maximilianum Caesarem Caroli Caesaris Auum diserte clareque reuocasse, rescidisse, abolesse quicquid ex turbator pupilli Sforiae Ludouicus impetrasset ante emissetue. Magna iniuria violari Apostolicae Sedis famam, ac dedecorari supremum tribunal, si damna, & raptus, & alienae rei donationes inde expetentur atque referantur illuc, vnde summi infimiq; mortalium præsidium & opem aduersus talia petant. Ne Caesarem quidem ipsum dignum fore Maximiliano Auo ceterisq. maioribus suis, si lōgo prouisu referuatam sibi ab eis Insubriae hereditatem, cunctatione vel desidia esse apud alienos fineret. Reservasse namque Auum nepoti terrae eius imperium, & rite etiam de manu in manum tradidisse tunc scilicet cùm Gallo prius tradidisset ea conditione, si vnica infans illius Claudia, quemadmodum infanti item Carolo pacta esset, matrimonio iungeretur. Eo proximus dissoluto nuptiali foedere, Claudiaq; desponfa

sa alteri , rem simul fuisse inanem , & Carolum statim  
ab eodem Caesare a quoq. Maximiliano coram Philippo  
patre in iura Mediolanensis Imperij fuisse ascitum .  
Haec igitur , & alia assidue audiendo , siue dicitando  
egitandoque exasperabantur iuuenum Regum fer-  
nida ingenia , alteri quidem ad tuendam , alteri ve-  
rò ad recuperandam terrae possessionem , quam vter-  
que relictam sibi à maioribus crederet ; siue credi ab  
alijs vellet . Et magnae rei euentus accenderat in-  
super auxeratque animos , hinc gloria , hinc ira ,  
postquam mortuo Maximiliano , nomen Imperiumque  
Caesaris tenuerat nepos , irrito omni Regis alterius  
tentamento , quem VII. Viri Electores repudiae-  
rant , vt alienigenam & externae fidei , prætule-  
rantque Carolum originis suæ , sanguinisque Caesa-  
riani , & opum magnitudine tantæ moli parem , vim-  
que & famam imperio ipsi vltro additurum . Ter-  
tius annus Regi Franciso erat parti per Insubriam  
Imperij , compositarum , vt ipse rebatur , Mediolani  
rerum , & illacestiae pacis , cùm occultis agitata con-  
silijs , & diu inclusa pectoribus machinamenta deni-  
que eruperunt , iunctisque cum Pontifice Max. César  
exercitibus ad Gallos ejiciendos , Italiamq. sicut ipsi  
ferebant , liberandam incubuere vi tota . Namque  
Pontifex Leo , Medicaee nobilitatis natos in Domo ,  
cuius nimia potentia , ne Patriae quidem suæ ferre  
libertatem posset , impatiens ipse otij , & magnitudine  
Pontificatus irritato magis quam expleto animo , stu-  
diorum quoque genere pronus in ancipitia lacescebat

Ffffff 2 vltro

ultra magnas occasiones, & apud eum consilia nouan-  
darum rerum assidue agitabantur. Ac principio, qui-  
dem, is animus & pares animo opes ex Ecclesiastico  
imperio simul & Florentina Rep. quam Pontificis pa-  
ter tenebat, conflatae, versis in Galliam studijs, ac  
prope initio illic foedere, cladem Caesari Hispanisque  
prope conflatant. Sed, dum occulti foederis arcanae  
conditions in Gallia, Romæ tractantur, contro-  
uersia, vel difficultate exorta aliqua, hinc dissidentia  
gliscente inter partes, postremò irritatis palam alienatiq. animis, consilia eadem, quae pro Gallo aduer-  
sus Caesarem inclinarant, pro Caesare aduersus Gal-  
lum stetere. Fueratque tanti partibus ad ea, quæ  
agitabantur, præsidium Apostolicæ Sedis adiunxisse  
sibi, atque Pontificem habuisse coniuratum, ut abs-  
que momento eo, rem torpere ipsam, & Regum hære-  
re animos, atque à belli consilijs auocari necesse es-  
set. Non enim, id virium alterutri Regi eo tempore  
erat, vt posset ruto laceſſere alterum; & Gallo socia  
ac propinqua Venetorum arma tegebant Inſubrum  
fines, ne nuda apertaque Hispanis exercitibus protin-  
cia Mediolanum effet, & Hispani vicissim Neapolita-  
num Regnum vota altera ſolitudinemque Gallorum,  
ſinihil ab Pontifice moueretur, egregie munitum ha-  
bebant. Helvetiorum mercenaria auxilia copiæque  
venales, non huic aut illi Regi addictæ, sed in partem  
eam pronæ ſemper, quæ præſentis pecuniae vi acrius  
instaret. Ceteri per Italiam populi principesue,  
nequè adeò per ſe tunc validi opibus aut armis, vt

outv

ma-

maximis duobus Regibus interdicti dare vel adimere  
victoriam possent; ut que ita affecti animis, ut unum  
magis, quam alterum in uale socii Regem vellent.  
Hanc rerum aequalitatem faciendo bello alienam  
Apostolica arma Romanaeque opes parti alteri ad-  
iunctae disiecerant nunc, atque ex iniutili illo torpore  
excitarant. Ceterum, Pontifex Leo, quamquamini-  
tum iam hand dubie cum Caesare sedus haberet,  
nec sensibus tantummodo intimis, sed etiam nego-  
tiatione tota conspirasset aduersus Gallum, voluerat  
tamen eius foederis initio, vires potius & arma quam  
nomen & famam ad Gallos ieiendos commodare  
Caesari, urbe inque Mediolanum ita circumueniri  
posse autumabar, ut tentata simul & patrata re, co-  
natus exitusque negotij tempore uno ingrueret, at-  
que ab sensu foederis initi auerteret animos. An  
sortasse, incerto adhuc euentu latitans, nihil faciebat  
hoc, si redenique perfecta in parte operis ipse depie-  
henderetur; vel etiam, post euentum comprehendendi ul-  
tro molitor & artifex Gallicæ electionis volebat?  
Huius autem repentinæ irruptionis, quæ callide in-  
structa vekaret appetatum suum, ut exitu prius quam  
motu aliquo sentinetur, disposita consilia in hunc mo-  
dum fuere. Nobilissimus quisque Mediolanensium,  
qui, vel in exilium acti & prolungati Gallicis edictis,  
vel ob indignitates quæ perferenda quotidie erant,  
exules ultro ac fugitiui uiuos secessus in extremis  
Pariae finibus quaesierant, adierantue finitimas  
urbes, aut, in Tridentinis alpibus circa extorrem

Sforciam

Sforciā constipati motū desperatae vrbis aliquem expectabant, hi simul omnes repētino, quā quibusque proximum esset, incursu, dispersos per varia Insubrum loca obtruncare Gallos debebant; p̄fertimque Mediolani strages futura regnantium erat in ipsa iniuriatum sede & libidinum Regno. Alios oportebat exsules ad R̄hegium in Pontificiam per ea tempora vrbem congregari vniuersos; partibus ibi vicibusque descriptis, & assumpta insuper alia militū manu, discedere globos ad sua quemque munia, defungique cāde Gallorum, & patriæ malis imponere magnum diem. Respiciebant cuncti nutum autoritatemque Hieronymi Moroni, qui Francisci Sforciæ continuus ipsum quoque regebat, & cognita Pontifex ac Cæsar prudentia viri eius gratiaque quam apud exulem is teneret, cuncta cum eo composita, & communicata habebant; pleraque etiam reliquerāt ipsius arbitrio & fidei gerenda, prout gnarus homo opportunitatum animorumque Prouinciae & vrbis maximè censuisset. Is inter cetera mandauerat Manfredo Palauicino potentiorum exsulum vni, vt nocte quadam per Larium lacum surdo remigio delapsus cum idonea manu succederet ad moenia vrbis Novocomi; paratam ibi proditionem aditumque & cuncta in tempore assutura monstrarat. Ab altera parte, tempore eodem, mista ex Pontificijs Cæsarianisque nauibus classis contra Genuae portum obijciebatur in spem aut terrorem commouēndis il-

lic etiam rebus, sicuti turbata factionibus intestinis  
Ciuitas auxilia aliqua externa circumspectabat.  
Ordo insidiarum hic fuit, quae nullum felicem exi-  
tum habiturae erant, credo, quia iusto potius bello  
debellari ejcjq; Gallos oporteret, ne tantus ille li-  
berandae Italiae titulus, & actio tam praeclara tur-  
pi fraudum vllarum nomine dehonestaretur. Dum  
trepidant exsules, dum ad facinus accinguntur, ex-  
cepere Galli indicia omnia rei, quae summa ope te-  
genda erat, vltroq; Scudus, qui Mediolani Regis no-  
mine prouinciam tuebatur, obuiam iuit, & auctis per  
omnia loca praefidijs, erexit populares ad sui custo-  
diam, atq; ita illud tantae spei confilium repente di-  
scussum est. Ad Nouocomum verò facta eruptione  
insidiatores oppressi, & Manfredus Palauicinus mi-  
litari custodia ductus in vrbem obtruncatusq; est vna  
cum Barptolemaeo Ferrario, quem à Morono soli-  
citatum fuisse constabat vt pro salute patriae aliquid  
auderet, neque rem ad magistratum vrbis ille detu-  
lerat. Adiicitur criminis & suppicio patris filius,  
propter aetatem nullius consilij particeps ille qui-  
dem, sed ob detectas insidias, impetus & ira Gallo-  
rum etiam fortuita pro crimine arripiebat. Ita mo-  
tus omni & coniuratio exulum irrita fuerat. At Ge-  
nuenses, ad foederatae classis adspectum erectis su-  
bito animis, & coepta rebellione, compressi sunt ab  
Duce Fregoso qui cognito ciuium motu, se se &  
vim imperij strenue obiecit, atque in ea etiam parte  
spes elusae. Spes deinde omnis in aperto Marte re-

lin-

linquebatur; & Pontifex Leo collata in violentiam manifestumq. feroarem latēdi arte, quā ad eam diem v̄sus fuerat, abrupta palam omni cum Galliae Rege amicitia, cuius manebat adhuc species, quaesitaq; noua specie, quasi tunc primum cum Hispano iniretur foedus, causando Gallorum in Apostolicam Sedem iniurias, obsequium & beneficia Caesaris, armorum societatem, quae pācta & dissimulata erat, fanxit ceremonijs, atque de ea re statim in hanc sententiam edita promulgantur. Pontificem & Caeſarem ad pellendos vrbe Mediolano totaque Italia Gallos, arma, & imperium animosque coniunxisse, quōd eam rem Apostolicae Sedi Ecclesiaeq; Catholicae, & nomini Italo salutarem atque gloriosam forē statuerint: de eius rei prospero exitu, vti omneis, enixe Deum obsecrarent, foederisq; ipsius pro publica salute suscepti sanctum & inuiolabile nomen fauore ac veneratione amplecterentur. Foederatorum deinde ipsorum nomini ac maiestati, principio consentanea cuncta erant, belli duces, equitatus robur, peditum cohortes, stipendia & commeatus; & quacunque exercitus incedebat, reverenteis animi erga agmen, quod Pōtificis Leonis, & Caroli Caeſaris missū ad liberandam ire Insubriam dicebatur. Summa copiarum fuit, equites quinque millia, peditum viginti millia & quingenti: Imperium & tota rei militaris potestas penes Mantuae Demarchum & Prosperum Columnam, sed ille huic parere iussus; moxque eodem imperij iure Daualus accessit. Vnde

de postea aemulatio ducum , & saepe discordia inter ipsos allatura exitium rebus, nisi in hostem ire turiam consilio superum , iam mortalium ira electioni triumphoq; destinatum . Gallus tamen etiam ipse vicissim auditio hoc rerum motu strepituq; foederis, totas Regni vires ad defensionem Prouinciae Mediolanensis impigre ciebat ; & exercitum aliquanto validiorem habuisse fertur, duces quoq; nihilo deteriores nostris, Lautrecum & Scudum germanos inter se fratres, concordes eo vinculo, & continendis ceteris efficaces . Si pecunia , & quae temere inuocatur fortuna adfuisset, pars contraria in suam ipsorum perniciem inierrat foedus , magnamq; Pontifex & Caesar cum ignominia cladem accepissent . Sed apud iuuenem Regem infensi fratrum gloriae principes, & Regina Mater muliebribus angustijs subsidia belli vertens in alios usus, fortes Lautrechi conatus & magna coepita faepe turbauerunt, atq; pene ad desperationem adduxere ipsum ; interimq; si qua data erat opportunitas, fugacia occasionum momenta , e manibus elabebantur, admodum procliui ad exitium itinere , cum Ducas culpae fortunam sua sponte vrgentem aggrauarent, fortuna quasi lacciferet culpas , quo celerior veniret clades . Neque rursus in foederato exercitu ludibria siue vitia eadem defuere , qui, cum initio decorus tremendusq; omni Imperatoria & militari disciplina incessisset, eique disciplinae consentaneus exitus communis omnium expectatione desponderetur, paulatim deinde perturbatione exorta , confusis attenuatisve

G ggggg rebus,

rebus, irritatis animis, infausto etiam expeditionum aliquot euentu, eò est redactus, vt, & Gallorum potius quam Sedis Apostolicae, vel Romani Imperij exercitus videretur, & qui Gallico exercitui finis fuit, eum quaeri vltro & prouocari ab foederatis hisce appareret. Cum enim in aggredienda Metropoli, statuissent prius expugnare Parmam & Placentiam, scilicet ut tuta ab tergo cuncta relinquenter antequam negotio illò maiore implicarentur; magnum id imperatorumque consilium, & sua sponte infelix fuit, & quo infelicius addita insuper ignominia esset, errores & dissidia ducum fecere. Oppugnata per dies aliquot nequicquam Parma: diminutus ibi exercitus: abscessum à moenibus tunc cum si paulisper institissent, capi vrbs potuisset: flagitij eius verecundia accensi mutuis odijs duces, cum alias in alium culpam conferré, omnesq; verius deliquerent: prope alienatus à Caesare Pontifex, foedusq; prope dissolutum: facta apud populos imperatoria exultationis iatura. Neque res alia ab foederato exercitu cladem vltimam prohibuit, quam Lauterchi maior infelicitas, & infortunia hostium maiora, si nomine appellari licet isto, quicquid illud ineuitabili potentia arcanoq; impulso, & modis occultis incubuerat genti Gallorum, ut Mediolano Italiaq; pellerentur. Postquam turbulente consultando, misere exsequendo, criminandoque inuicem, consumpsere duces tempora illa inutiliter, dum iurgantur adhuc, tentantue nonnihil, haerentue, aut trepidantium modo subinde stationem mutant,

ad fue-

adfuere decem millia Heluetiorum expectatum ante auxilium, & præcipua causa trépidandi, quia incertum fuerat, an venirent. Venere per Bergomatūm fines; aduentusque gentis & fortuita res etiam iter, quo minime sperabatur initio & aditu victoriam dedit. Quia enim circa eos Bergomensium fines coniungi exercitum vtrumq; oportebat, occasio inde nata est transeundi flumen Abduam, cuius vltorius ripa Mediolanensem agrum inchoat finitue. Prosperus Columna erat vt dixi in foederato exercitu arbiter omnium rerum, de quo homine secunda pleraque ad famam, nonnulla secus prodidit anceps ferè circa magnos viros historia memoriaq; hominum adeò recens vt nondum exolescat. Is, non apud ceteros modò duces militaremq; turbam inuidia laborabat quod Parmae oppugnationem in propinqua spe eius capienda vrbis soluisse, verùm etiam Romae atq; in Hispania cooperat ea res esse infamis; indeq; labor & inquietudo ipsi, vt consilium illud suum ingenti aliquo facinore & felici exitu principibus iratis & communi famae approbaret. Speculatus ad Vaprium facile traiectu flumen incustoditamq; ripam, inconfultis Daualo & Gonzaga, vt famam gloriamq; rei solum haberet, vitata etiam per obtrectationem omni Hispanorum militum ope, nocte intempesta, cohortes aliquot Italici generis, praeparatis in idipsum ante scaphis traiecit. Ut primi qui transierant, locum tenuere, alios subinde, atq; alios Columna transmittebat; & orta luce, plenam milite ripam, seq; operis

G ggggg 2 au-

autorem ducibus reliquis exercituq; vniuerso ostendit. Tunc enim uero, felici inuento acclamauere etiam qui inuidabant, & mox, flumini pro se quisque varie insultanteis vestigia vniuersi ibidem posuere. Acre certamen in ripa fuit, dum Galli sero ad deiiciendos qui primi transierant, accurrunt; & fratri missu Scudus ipse cum quadringentis aderat. Sed maiora deinceps agmina transfuehente flumine, opprimebantur. Diuerso deinde tramite, tempore eodem, exercitus uterque, Galli ad custodienda mœnia portasque viribus, foederati ad spem conatumq; irrumpendi tetendere. Gallus propero agmine suburbia vicosq; infedit: nostri capto longiore ambitu, Meliniano ab municipio in Clarae Vallis prata processerunt. Ibi statua habebant; melioreq; iam fortuna, & specie etiam augustinore ob Cardinales Legatos, Medicæum, & Sedunensem queis Cruces argenteæ præferebantur, imminabant vicinae virbi foederata arma, cùm res accidit, quam politica etiam subtilitate fastidiosi scriptores quasi crederent, retulere; referamq; ego Francisci Guicciardini fere verbis pene admirabilem casum. Apud Claram Vallem, in prato, dum Legati Cardinales, ceteriq; principes exercitus federet ad inspiciendas cohortes tendentium ordine Heluetiorum intenti, stetit in eorum conspectu quidam natu grandis; os habitusque plebeij hominis erat; & ab D. Satyri Paroecia missum se esse vociferabatur. Pergerent, venirent; populum Mediolanensem, conspecto liberatore exercitu, protinus arma in Gallos esse capturum, id modò

cum

cum magna voce dixisset, abiit repente ex oculis, & quae muis acri postea Legatorum cura ad inuestigandum quisnam ille mortalium esset, nusquam est reperitus. Ceterum Cardinales ducesque ceteri, nonnihil quidem etiam omniē permoti eo, sed multo magis consilia sequentes sua, quae præsens forma rerum, & ex vicino conspecta cuncta hostium dabant, motis ab Claraualle castris, appetente nocte subiere ad fossam, quæ duabus Portis, Ticinensi, & Romanæ interiecta muniebat vallum, & vallo regioniq; ei Veneti pedites custodiae causa appositi erant. Hi simul atq; fistulatores conspexere Hispanos, quam de industria manum Daualus obiecerat, dant impigre terga, valloque nudato, & statione relicta, liberum ab ea parte aditum irrumpentibus dedere. Mox, & priorum vestigia sequentibus alijs, nouisque sibi aditus aperiante exercitu, & effusa obuiam ad accipiendos liberatores nobilitate, tumultuante populo, praesidijs labantibus, mutata omnium fide, plena omnia Caesarianorum fuere. Pontificij, cum in extremo agmine fuissent, captam iam haud dubie urbem ouantium specie intrabant. Gallis in tam repentina clade subsidium unicum erat fugere in arcem Iouis, cuius haud unquam neglecta, siue intermissa custodia fuerat. Inter tela, & gladios, & ingruentia etiam superne saxa, proripiebāt se eō milites, duces, magistratus ipsi, & dum euadere tendunt, vulnerabantur ab ciue simul & ab hoste velut hostes in aliena vrbe deprehensi. Sua nuper tribunalia suasq; domos respergebant sanguine, si quos

*ibi*

ibi cunctantes deprehenderat victor; atque tam improvisa res obstupeficerat animos ab vulnerum pene sensu, cum omnia captiuitatis exempla adesse viderent antequam captam esse urbem suspicarentur. Nec minus obstupeficerat tam laeta fortuna victores, quod absque suo sanguine, absque difficultate illa caput belli Metropolim prima irruptione cepissent. Dederat autem federatis tantam ex insperato victoriā ille qui plurimum in rebus humanis potest causus, qui in bello praesertim res saepe magnas & admirandas effecit. Namq; foedo imbribus tempore, versis in coenum campis, atque corruptis itineribus, non crediderant Galli, moturum hostem eo die castra, maxime propter bombardas, quae humido paludum, & profunda passim vligine, (sicuti regio est illa) tarde transueherentur, etiamsi celestium aquarū proluuies illa non accessisset. Ea spe resoluti in secordiam Galli, fessiq; insuper recenti ad urbem cursu, aut nocturno ad Vaprium praelio, segniter obibant munia ipsa ad quae accurrerant. Sed Daualus interim, monstrata sibi forte per agresteis semita glareosa quadam, substructaque, & marginata, atque ob id firma plaustris, & expedita agmini, contempto pluuiarum incommodo, traduxit repente tormenta, & exercitum, oppressitq; inopinanteis. Capta in hunc modum, vel potius liberata Metropoli, subiectæ urbes capiuntur vi eadem, exemplumq; secutæ, cæsis pulsione Gallis, accepere nostros, & cunctæ fere Cæsaris nomen inuocabant. Lotrecus & Scudus cum

infe-

infelicibus reliquijs profugi ab vrbe, vagati aliquan-  
diu per Bergomensium fines, & petito inde supple-  
mento, Cremonam postea aggressi, prospero illic e-  
uentu, & fiducia Mediolanensis arcis, locorumque  
nonnullorum, strenue reparabant bellum. Interea  
Pontifex Leo extinguitur haud sine veneni fama, si-  
ue corrupto pincerna, vti creditum est, miscuere ali-  
quid Galli, siue lautior victus, assiduaeque curae inue-  
xere febriculam, & homines suo more interpretati  
sunt. Morte eius, atq. perturbatione nouorum co-  
mitiorum, Interpontificijq. licentia, sustulere Galli a-  
nimos, deceffitingens Caesari auxilium, & magnis ad  
reliqua belli perficienda consilijs, atq. apparatus, &  
nec pecuniae facultates, nec copiae militum eadem  
ab Roma aderant. Itaque in ea rerum inclinatione,  
cum quidem etiam Caesar transalpino alio aduersus  
Regem eundem bello implicitus teneretur, metus in-  
gens inuaserat omnes Insubriae populos, ne fortasse  
deserti redirent in Gallorum potestatem, & acrius  
deinde premerentur eo iugo, quod excutere conati  
essent, quoque excussonimum laetati. Parmam Lo-  
trecus acerrime oppugnabat: habebat Cremonam:  
Nouaria & Alexandria, Tritium, & Domussola, &  
Arona, praefidio Gallorum adhuc tenebantur; & praec-  
cipius omnium terror ab Iouis arce Metropoli im-  
minens hostis, quasi minitabatur, repentina illa & ni-  
mium felici irruptione nihil esse actum. Dux Ferra-  
riae, qui Pontificis Leonis metu dubitarat, postquam  
ille excessit, nudato penitus animo, commodabat

Gal.

Gallis arma, ipseq. prodierat aduersus prouinciae salutem armatus . Heluetij, decem millia suae gentis prius negata Regi Francisco concesserant nunc, eaeq. copiae digressae Rheticis alibus in Orobios , & eodem vsae titulo , qui foederatis fuerat, ad liberandam Insubriam, Hispanosq. pellendos ire sese enim uero gloriabantur . Non res magis alia spem populis inchoatae salutis abscederat , quam auxilia ea repente addita Regi Gallo : quem rerum bellicarum more, ex afflita fortuna perditoq. statu, rursus Mediolani esse regnaturum credebant . Ad haec, incertus exitus comitorum, ancipiti expectatione distraxerat curas , cum tam Gallicae quam Hispanae factionis, contingere Pontifex posset , sicuti profane vaticinantes loquebantur . Qua vaticinatione & metu, Prosperus Columna, Cardinalem Eporedensem per Mediolanensis agri fines Romam ad comitia illa properantem , vi , seu dolis inhibuit ; incertumq; fuit, Caesaris iussu, an sua diligentia, rem eam atrocem ausus fuisset . Nec minus ipsi inter se Cardinales id celeste negotium intra conclave studijs humanis frustra impediabant , dum principes partium & factiosissimus quisq. in Gallum, aut Hispanum proni, Pontificem, qui huic, aut illi cordi foret, anteponunt, ad momenta maxime belli huius, certamina ipsi sua contentionemq. dirigen-  
tes, atque ita gratificantes Regibus . Sed hominum nequitias altitudine sua contemnens Deus , vertensq; saepe in bonum, eo certe comitiorum tempore,  
*Si vñquam alias, elusit simul, & coegit instrumentum  
esse*

esse rei, quam nemo futuram vnaquam existimasset.  
Dum enim Medicaeus, & Columna, primores Patrum,  
aut habere ipsi, aut arbitratu suo collocare summum  
honorem volunt, magnisq; conatibus & artificijs ad  
sua nituntur uterque vota, & pleni artium earundem  
ceteri Cardinales, hunc, aut illum sequuntur, die quo-  
dā ad ferenda suffragia de more congregati, de Adria-  
no Cardinale mentionem fortè iniecerunt. Erat is na-  
tione Belga, homo moris antiqui, expers Italicae  
consuetudinis; & simplicitatem eius, iudicmq; ad frau-  
des aulicas animum pleriq; adspernanteis, barbarum  
appellabant. Fuerat pueruli Cæsaris magister, & in  
eius gratiam creatus a Leone Cardinali, Hispaniae  
regna, hoc tempore, Cæsare ipso absente admini-  
strabat. Cum nullo alio consilio, quam extrahendi  
temporis causa agi de eo homine coepit esset, lau-  
desque viri, litterae, & apertus animus, & Apostoli-  
ca innocentia memorarentur in speciem tantummo-  
do, cæterum securo aemulatu, quia de absente, &  
abnuente, omnibusque ignoto & vicissini ignorantē  
omneis, agebatur, incalueri repente vniuersi, ac re-  
gente animos Deo, Pontificem eum fecere, cum ne ipse  
quidem, sententiæ iudicijq; sui rationem intelligerent,  
cur tam dubijs Ecclesiæ temporibus, tam præsentis  
necessitate, petijssent regimen ab homine, qui nec vi-  
disset vñquam Italiam, & tanto maris terrarumque  
spatio discretus maneret. Pontifice renuntiato hoc,  
& ex Hispania accersito, irrita machinatio fuerat eo-  
rum, qui Sedis Apostolicae opes atq; præsidium

H hhhh ad

ad Gallos potius inclinare voluisse, Caesarq; rem  
Mediolanensem maiore animo amplexus, ante omnia  
id agebat, ut Franciscum Sforciam ab Tridento redu-  
ceret Mediolanum, sisteretque Vrbi, cuius assidue vo-  
ce exposcebatur. Verum ea reductio quomodo facta  
fuerit, & quibus etiam ea res aduersus prohibenteis  
Gallos indigerit artificijs, paullo post explicabo.  
Nunc erecti Galli Leonis obitu, perturbatione Co-  
mitiorum, ac deinde spe noui Pontificatus elusa, cum  
eis quae dixi Heluetiorum auxilijs, ad recuperandam  
Metropolim incubuerant, ac positis castris Vercellen-  
sem inter Cumanamque Portas, vi tota Lotrecus ob-  
sidebat oppugnabatq; vrbem miseranda rerum facie,  
cum Caesariani intra vrbem à Gallis, Galli intra ar-  
cem à Caesarianis obsiderentur, atque duobus exer-  
citibus interiecti ciues malorum extrema sustinerent.  
Attamen, tanta erant Populi Mediolanensis in Gallos  
odia, tam iucunda exspectatio flagransq; desiderium  
propediem adfuturi Ducis, ut neque tumultuaren-  
tur ob calamitates, & cuncta pro defensione vrbis  
strenue exsequerentur. Vltro quin etiam descriptio  
per singulas Paroecias ostiatim milite, ducibusque  
regionatim electis, ibant ad loca omnia, vbi plurimum  
laboris ac periculi ostenderetur, & voluntario illo de-  
lectu, praelia stationesue ipsi excipiebant, ut quies fes-  
so Caesarianorum exercitui esset. Refert Guicciardi-  
nus, idque ego in alijs Patriae monumentis reperi,  
suisse eo tempore in vrbte Andream Barbatum homi-  
num Augustinianum, plausibili concionum eloquen-  
ti.

ria, quem audire, populo Mediolanensi vacaret etiam  
inter eas miserias; cuius oratio lenimen quasi celeste  
miseriarum haberetur. Namq; magna vitae auctori-  
tate concionator Augustinianus, solidaq. doctrina, &  
verborum vi, tum acer & seuerus, tum blandus & mi-  
tiſ, adſpectu quoque venerando, & ob ieiunia toruo,  
Gallorum gentem affidue infectabatur, qui saeuitia,  
& libidine, & moribus suis, amoenam & piam, & ob-  
merita saepe felicem, inclytamq. Metropolim, face-  
re Babylonem alteram tentassent. Liberatrica Cae-  
ſaris arma, brachium excelsum ac forte Leonis, Pha-  
raonem & Aegyptum, & promissae telluris bona iam  
in vicino, Aenobarbi quoque tempora, & fermentum  
inhumanam salis, eoq. diro mysterio damnandam ite-  
rum aeternae solitudini patriam hanc, aliaque profa-  
na & sacra, vetera & recentiora, crebris concionibus  
arte sua miscebat Ecclesiasticus orator, attollens par-  
tam vrbi salutem electione Gallorum, deplorans atro-  
cia dictu, quae sub imperio illo passi essemus, quaeue  
passuri etiam atrociora, nisi longius ejacerentur. Ad  
haec, Parmae & Placentiae paruarum Vrbium nouif-  
fima exempla referebat; quae, si depellendae tyran-  
nidi pertulissent obſeffae vastationem agrorum, fa-  
mem & cedes, quanto magis aduersus eadem mala  
durare Metropolim oporteret? His accensi ciues, qui-  
bus satis per ſe odij, ſatisq. patientiae aduersus immi-  
nentem vrbi hostem eſſet, nihil recuſabant perferre  
incommodi, nulla munia detrectabant. Conferebant  
ex priuato quicquid pecuniae priori latrocinio subtra-

Hhhhhh 2 Etum

etum adhuc occultarent. Inde stipendia exercitui aliquandiu suppeditabantur, dum à Caesare, non quantum necesse esset, venit. Cumq. aquarias molas, Loreticus & Scudus circa urbem demoliti essent, manuarias inuenere sibi, quarum arte, iniuria illa hostium eiusa, frumenta terebant. Vrbis interim moenia quatiebantur (& volitantes ab arce globi maiore tamen teriore quam damno serebantur, credo, quia inclusi illic, & obfessi Galli, aut timerent irritare nostros, aut parcere se crederent virbi, cuius nondum tota possessione excidissent. Erumpere enim etiam, accepto in arcem, ab exteriore parte, maiore suorum numero, parabant, spe certa, pellendi Caesarianos urbisque capiundae, si utraque res ex animi sententia cecidisset, ut & intò accipere suos, & vna cum eis facere eruptiōrem possent. Quod ipsum, in tempore, suspicatus Columna, ab utroque arcis latere per totam hortorum latitudinem, duas ingenteis moles, hinc ad Cumanam, hinc ad Vercellensem portam, opere subitario, & nocturno perduxit, & in molis utriusque capite propugnaculum excitauit. Ibi disposita tormenta cohortesque fistulatorum prohibere poterant, ne qua in arcem subsidia reciperentur, ac ne qua etiam eruptio ex arce fieret; opusque fuit illud, tum subtilitate inuenti, tum vsu ipso praeclarum & militari fama celebratum diu; quod quidem etiam casus opportunus mirifice adiuit. Cum enim ea ipsa nocte, quat faciendo operi destinata erat, pluriuna e celo cecidisset nix, usus Columna beneficio illo, prototypa molium

ex:

ex niue raptim instituit, simul ad facilitatem atque de-  
scriptionem perficiendi operis, simul ad tutelam ope-  
rarum, ut exemplaris obiecti mollities ipsa frangeret  
ictus, si qua in fossores ab arce tornienta disploderen-  
tur. In hoc statu res bellicae Mediolanensem erant,  
cum, Leone Pontifice mortuo, suffectus ei Adrianus,  
nondum inito Pontificatu, absens, nomine ipso factio-  
nis, & terrae, vnde erat, nostris animum, hosti dolo-  
rem & stimulus addidisset. Mox Sforcia ipse ab Tri-  
dento aderat, maximum, ut dixi, leuamen ciuitati, quae  
defensores inter & hostes afflcta, & oppressa, sub Prin-  
cipe denique nativo, & Caesaris ipsius authoritate  
constituto, se se respiraturam sperabat. Distulerat au-  
tem Sforciae aduentum pudenda dictu res, pecuniae  
difficultas, dum exfusi, propter quæ tot millia in armis  
erant, modicus & necessarius ille sumptus ad familiam  
fortasse instruendā, iterue faciendū deest; liberalitasq;  
Caesaris aduersus id incommodum frustra inuocaba-  
tur. Scilicet, potentissimi Reges, ac domini terrarum,  
quibus genus humanum seruit, quorum gloriae ac  
cupiditati nationes armantur, queis auriferi amnes  
fluunt, & montium dorsa perpetuo vehunt argenteas  
glebas, qui margaritarum denique piscatu prouincias  
fatigant; hi paruam saepe pecuniam in thesauris suis  
frustra quaesiere; ridetque interea cum sordido suo  
marsupio collybista & mercator diues. Sic nimirum  
etiam Sforciae huic ad breue iter exigua summa non  
suppeditabatur à Caesare, qui, vt reduceret eum in pa-  
triam

triām, tam graue ex longinquo bellum gerebat. Cardinalis denique Medicaeus, qui Sedis Apostolicae nomine bello ei praeerat, adspersatus in te tanta ridiculum id ac miserabile impedimentum, procrastinationesque Regiorum, deprompsit vltro aureos nummos ad nouem millia, misitq; exsuli, conditione hac magnifica & prolixia, vt ne aliter quam melioribus postea suis rebus ille restituendi cogitatione solicitaretur. Ad id subsidium alleuato animo, & laxatis vtcunq; rerum priuatarum angustijs, Sforcia, prefectus ab Tridento, per Veronensem agrum, Mantuam, inde Placentiam venit. Ab Placentia Ticinum vsque progreditur: ab Ticino Mediolanum sine mora iturus erat. Id modo interduces, praecipuoisque amicorum ambigebatur, ex duobus itineribus, breue, & expeditum, an longius, eo que Gallis inexcogitatum sequeretur. Nam licet sex millia Germanorum peditum, equites trecenti, & valida exsulum manus, tenderent vnā praesidioque essent, placebat tamen redditus incruentus in patriam, & intentos ad prohibendum pugnandumque Gallos fallere cupiebant. Delecta tutiore via, per calles inuios, per transuersa, per directa, per nemorosa, per aperta, in pagum, qui, quoniam sex millia passuum ab urbe distat, Sextus ex eo dicitur, peruenere. Aversissima ab hoste via haec erat, egressusque Columna obuiam, nouum Duce, ab Sexto pago tranquillissime in Vrbem deduxit. Fertur Lotrecus, post amissam Caesariani exercitus irruptione Mediolanuni, nulli magis rei ingemuisse, quam ei, vel errori, vel calamitati,

mitati, cùm furto quodam itineris Sforcia introduc-  
tus illuc foret; id quod assidue prospiciens ac timens,  
obsfederat ipse quidem ab Ticino diuerticula pleraque  
& egressus ferè omnis; sed vti fit, ad cetera solers,  
in uno coecus aperuerat occasiōni viam, errore, qui  
tunc demum intelligeretur, cùm iam id ipsum intellige-  
re, moestum inutileque esset. Cetera deinde ad eun-  
dem modum frustrabantur Gallorum duces, neque  
Lotreco & Scudo, quicquam magis defuit quam for-  
tuna, cùm rebus alijs haud sanè contemnendi essent,  
ita vt plerique numen inane belli vetere verbo usur-  
pantes, iniquum Martem esse illis dicerent; eaque de  
fratribus fama in vtroque exercitu esset. Potius au-  
tem infensa prouidentia veri Numinis fuit, quae per  
ea Gallorum infortunia struebat imperio alteri iter,  
vt reducto exule, firmatoque Principatu, post eius fi-  
nem, Provincia Catholicae magnitudini accederet au-  
geretq. eam, & vicissim ibi exhausto, quicquid perfe-  
rendum erat, denique frueretur pace. Sic absente Scu-  
do Lotrecus, cùm exclusus vrbe cuncta camporum te-  
neret, aditum exsulī redeunti in vrbum, damno irre-  
parabili dedit, & postquam ille cum militaribus pectu-  
nijs ex Gallia redierat, intercepto per nostros, atque  
ad Aronam obsezzo argento, irritus fratri iungitur.  
Mox vterque ad Bicocam, obscurum prius, & nobilē  
postea semper Gallica clade pagum, cum exercitus  
penè inter nécione dimicauere. Quo praelio perdi-  
tas res, dum Lotrecus ad Regem excusaturus vadit,  
summum Scudi opus fuit, deditis ad quae defen-  
da

da relictus erat, pepigisse ut redire in patriam posset.  
Redijt cum exercitu, qui ad Bicocam superfuerat  
cladi, & Regi iam Gallo ex tota Prouincia treis tan-  
tummodo arces, Cremonensis, & Nouariensis, & ma-  
ximum vtique, sed breue momentum, Metropolitana  
hæc, manebant. Quae vltima, sepulcrum potius bu-  
stumue Gallorum, quam arx diceretur, si emortuum  
iam penè praesidium, & quotidie immorientes reli-  
qui, si pallores etiam luctusq. viuorum, & desperatio, &  
re, um omnium penuria, quae clausa ibi, & secreta ab  
nostrorum oculis latebant, in aperto essent, qualia, cùm  
deditio postea fieret, apparuere. Sed demersa profun-  
de moles, alte imminens ciuium tectis, cincta lato fos-  
satum ambitu, vndique armata tormentis, fama etiā  
& superiorum temporum casibus ingens, intacta con-  
ditionibus, veluti nimium quiddam, & sicuti teneba-  
tur relicta est, cùm quid intus miseriarum esset, a no-  
stris ignoraretur. Ut autem, cum exercitu suo Scu-  
dus in Galliam redijt, tunc, qui ibi relicti in praesi-  
dio fuerant, siue quia non possent sustinere diutius,  
siue etiam moerore victi, quòd in aliena terra se esse  
destitutos viderent, nudauere vltro miserias suas,  
paqtq. vt cum vestimentis & armis abire sibi lice-  
ret, arcem permisere Caesarianis, annuitq. Caesar,  
vt ea Sforciae traderetur. Id solum Duci defuerat, ad  
solidi principatus speciem, & vt maiorum suorum  
fortunam vere recuperasset. Acres magna quidem,  
ingenfq. opus, haud sine praesenti Numinis ope effe-  
ctum ita erat, scilicet deiectis ex confirmata prope-  
modum

modum Insubriæ possessione Gallis , restitutâ Metro-  
poli sub imperium, quod pro nativo & domestico iam  
expetebatur, Sforciâ post graues exsiliij sui aerumnas  
collocato in sede , ex qua avus ipsius & pater, magni-  
tudini Regum comparati essent . Ciues tamen ipsi  
malis fere premebantur ijsdem , & , nisi quod barbari-  
cae libidinis saevitiaeque exempla depulerant , nihil  
magnopere erat ex pristini status calamitate diminu-  
tum. Non enim , vel temporum miseriâ , vel aulae  
ministrorumq. vitio , aera militaria procedebant ,  
atque id ipsum pecuniae , quod ex Hispania , sive ab  
Neapolî ad exercitum mittebatur, lendum & mancum  
fere compilatumq. veniebat, penè ut quasi veniens ex  
longinquo viator , peregrinationis labore consum-  
ptus , sic pecunia illa multorum lacerata manibus in  
itineris fine expiraret. Et magnanimitate sua Caesar  
tardus remissusq. ad cognoscenda ista & vindicanda ,  
furandi interuertendiq. licentiam alebat inter suos .  
Hinc licentia maior, insuperque irae victoris & egen-  
tis exercitus ; stipendiaq. multorum mensium assidue  
requirens miles , rapere , spoliare , assueuerat , ita ut  
accepta ab Hispanis salute Mediolanenses, praeda ijs-  
dem manerent . Constat, Caesarianum eum exercitum  
aliquando ob stipendia tumultuantem , cùm in hy-  
berna dimitteretur, iuisse populabundos , ut nisi pur-  
pureae cruces ( namque id insigne Caesarianis ) di-  
stinguerent gentem, manipulos adesse Gallorum mu-  
nicipia & pagi arbitrarentur. Nec abstinebatur sacris,  
quae religione populi, post Gallorum iniurias, instau-.

Iiiii rata

rata statim & refecta, rursus militari violentiae sufficiebant, atque trahebantur ab ijsdem, à quibus defendi & conseruari talia cporteret; maiestasq; interim erat nulla, quae prohiberet vim. Nam Sforciae nouo Duci etiam sua sponte mitis animus, tum verò mollior fiebat recentis exsilij recordatione & verecundia quadani, velut in alieno imperio, quod armis recuperatum alienis, alienâ manu datum sibi esset. Reliqui duces exercitus, & praefecti copiarum, obstricti legionibus, quarum virtute vicerant, cum nihil dare possent aliud, hanc fortasse praedandi veniam, vbiunque praeda esset aliqua, sicuti saepe mos imperatorius fuit, dabant. Caesar ipse nimium absens; & absente, sicuti dictum est, adhuc Archiepiscopo, Ecclesia per ministros regebatur, queis, id pastorale munus alienigenis, pastor etiam alienigena delegarat. Ceterum, ea populo Mediolanensi tolerabantur etiam iuscunde, vt in malis, quia, spoliatores circumspiciendo ipsos, non iam amplius cernebant. Gallica illa ora, & petulantirubore armatos vultus, quorum ipse adspectus ciuitati toti loco calamitatis antea erat. Decem millia nummū aureorum pronuntiavere Reip. nomine exercitui quae darentur, eoq; blandimento mitigatus miles desierat velut in hostico agere, & victoriae fructus aliquo modo sentiebatur, nondum tamen verus ille, & duraturus. Vix totus ab electione Gallorum annus exierat, cum varij primū rumores, certi deinde nuntij attulere, Galliam omnem streperet nouo armorum apparatu, iam iamque adfore exercitum,

citum , cuius incessu terram Italiam contremiscere oporteret. Vocabat Rex Franciscus ad arma omneis , dictans palam, ad recipiendam Vrbem Mediolanum esse mittendos , præparansq; exercitui itinera & com- meatus, rei etiam gerenda consilia disponens cum Imperatore nouo , qui, Boniuetus Galliae Almirar- chus fuit. Interiore sensu tacitoq; consilio statuerat in Italiam ipse trâsire, existimans ducibus suis ad eam diem , non tam fortunam dcfuisse , quâm curam ; idq; animi sui arcanum premebat alte ob discordem in ea re matrem Reginam , quae filij caput obiectari casibus nolebat. Verum , & ea , quae aperte moliebatur Rex , & id quod occulte parabat , fuere simul in ore famae ; commotiq; principes & Reges alij , quorum intererat , rem Mediolanensem , Italiamq; totam, in eo manere statu , quo tunc esset ; aduersus Gallica ar- ma cum Caesare confirmauere foedus ; pecunias , ar- ma , exercitus , tormenta & naues contulere in vnum , ut siue terra , siue mari veniret Rex , communi animo obuiam irent . Haec ipsa dum agitantur , & dum Me- diolani , ex turbulentia illa pace , tristiq; ob militum insolentiam victoria , bellum etiam quâm superiora omnia atrocius exspectatur , Bonifacius Vicecomes Mediolanensis occidere Sforciam est conatus ob iram intersecti eius iussu Hectoris Vicecomitis , quem ipse propinquo sanguine attingebat , & iuuenem vulgo Monsignorinum appellabant. De ea caede , in Hecto- rem patratâ , in Sforciam tentatâ , pauca supra reptam , non solum , quia res vtraq; insignis ad memoriam fuit ,

Iiiii 2 sed

sed etiam, quia caedes illa Monsignorini, vnde mini-  
me crederetur, exorto maximarum rerum motu, Sfor-  
ciam ipsum rursus in discrimen de summa imperij to-  
tius adduxit, indeq; varietatum humanarum porten-  
ta extitere, vt, & priuatus homo cum Mediolani Duce  
bellum gereret, & reconciliatus postea Caelari, inse-  
reret principum famae nomen domumq; suam, ac ex  
domo eadem, fratres duo, alter summum militiae de-  
cus, alter summum Ecclesiae regimen obtinerent.  
Hector Vicecomes, cui Monsignorini cognomentum,  
sumpta fortasse prius, dein omissa toga, & Ecclesiae ho-  
norum rudimenta, tentata primis annis indiderunt,  
fuit ex Ducis Bernabouis sanguine, quem ille, sicut  
in ipsius principatu memoriai, ob crebros mulierum  
amores late diffusum reliquit. Ex ea spuriorum stirpe  
procreatus hic, gloriabatur potius origine, quam eru-  
bescebat, sumpteratq; inde vltro spiritus nimios ac  
feroces. Adrant diuitiae, & magnae propinquita-  
tes, & cateruae asseclarum; hominesq; aqueti cae-  
dibus ipsius sumptu, multi palam, alij occulte, in vr-  
be, in domo, foris etiam apud amicos ad nutum inten-  
ti herilem alebantur. Vastus animus, promptum in-  
genium, & capiendo consilio matura celeritas, sermo  
blandus, obvia munificētia in omnes, miraq; mistura,  
varius, iracundus, iniustus, inconstans, idem exo-  
rabilis, clemens, misericors, excelsus, gloriofus,  
humilis, ferox, cautus, & omnia pariter, vbi res, vbi  
tempus postularet. Inde, principum etiam externo-  
rum amicitiae, veneratio populi in eum, & publicus  
fauor,

fauor, neque abnueret ei quisquam, iusta, siue iniusta ingredederetur. Magna eius merita fuerant in Sforciā domo principatuq; extorrem, ac toto illo exsiliij tempore, tum apud exsules alios, authoritate, tum apud principem ipsum, cōsilio, ad eos qui domi remanerant, literis & nutu, cum principibus Italīs, gratia & familiaritate, Gallorum quoque nulli contemptus aut reiectus, varie sic adiuuerat rem, quō maturius exsul in urbem principatumq; restitueretur. Ut cessere Galli, pristinaq; cum Principe suo redijt aula, tunc Monsignorinus iste enim uero apud reducem velut suo beneficio Sforciā, stare ante omneis, regnare se se gratia & authoritate æquum censebat. Volebat in primis regere iudicia & magistratus arbitratu suo, facinorosi semper alicuius fautor, semperq; aliquem eripiens capitali supplicio, petens etiam praemia sibi & honores, ac volens utique anteire Moronū, à quo anteiri se se turpe arbitrabatur. Potiebatur enim aula Moronus, & in nouo principatu cuncta nutu illius fiēbant. Cū nescio quid absurdī ac violenti die quodam apud eum tentaret, abnuensque Moronus, subnechteret etiam causas, quamobrem id fieri non posset, excidit hoc Monsignorino verbum; fore se aliquando apud eiusmodi Herum, cui non semper Paedagogus ab tergo iret; addiditque telam, quam ipse texuisse, esse retexturum eadem manu. Quid postea sermonis, quidue consiliorum super ea re fuerit Sforciā inter & Moronū, nescitur. Monsignorinus certe paucō post mandato Moroni occiditur ab Iacobo Medi-

caeo,

caeo, qui digredientem cum arcto comitatu alicūde  
eum speculatus, direxit vulnera, & patratā cæde eu-  
sit. Iacobus Medicaeus, primā iuuentā ferox, inquies,  
iratusq; natalium suorum fortunae, ex qua nihil nisi  
inopem nobilitatem, & magnae stirpis inane nomen  
haberet, contractis olim in vrbe inimicitij, & ae-  
mulo imperfecto, profugus, adiuncta sibi exsulum ma-  
nu, qui pulsi dominantium Gallorum iniurijs, circa La-  
tium lacum praedabundi vagabantur, caput sese fe-  
cerat ad Gallos ipsos quacunq; posset ope insectan-  
dos, tempore scilicet eo, cùm Sfortia rerum exitum  
**expe&tans** apud Tridentum sederet. Ita, aperto sibi  
magnarum rerum itinere, cùm iuuenum suorum glo-  
bo, die quodam ingressus urbem, tabellarium, qui ex  
Gallia literas ad regios ministros ferebat, obtrunca-  
rat luce palam, quo facinore, omnia Gallorum arcana  
Caesarianis & Sforciae, innotuisse ferebantur. Ad  
facinora deinde ministeriaq; cuncta, vbi præsentia  
& vigore animi opus esset, cum ferè adhiberetur, tum  
verò post iactam illam temere ab Monsignorino vo-  
cem, potior nemo est repertus, cuius manu, Sfortia,  
& Moronus, suspectum sibi quidem semper antea,  
nunc scilicet etiam aperte minitantem eum tolli pos-  
se existimarent. Sublato in hunc modum Monsignorino,  
cùm & minister caedis, & qui iusserat caedem  
pariter anxij sollicitiq; essent, obsequijq; & mandati  
conscientia inuicem animos inquietaret, hinc suspi-  
cione, ne prodiro arcano, potentior quam hodie gens  
illa Vicecomitum ad armariet, hinc metu, ne qui pro-  
dere

dere poterat rem, ipse tolleretur; Medicaeus ita procul ab coetu colloquijsq; vrbanis alegatur in Mussem-  
sem arcem, quae ad radices montis in Larij lacus li-  
tore sita est. Ibi quid paratum interfectori esset,  
anceps opinio interpretantium fuit. Sed ille in tali  
tempore audendum ratus, data fortè occasione, infe-  
dit firmavitq; sibi arcem; atque ab eo principio, quae  
fortuna viri fuerit, in tradenda deinceps fortuna Sfor-  
ciae casibusque urbis, exponemus. Nunc nouos an-  
cipitesque casus, & incredibile bellum, quod ab mi-  
nistro magnae caedis Medicaeo hoc imminebat, por-  
tendere Duci visa est noua item ac penè incredibilis  
audacia Bonifacij Vicecomitis, ex cuius domo Mon-  
signorinus fuit. Is namque, desiderio consobrini vio-  
lentus, & auidus petendae vltionis, neque ambigens  
vnde ea petenda esset, redeuntem ab Modoetia Prin-  
cipem stricto pugione aggressus, iugulum primò ipsum  
appetivit; deinde, cum ictus ille in irritum cecidisset,  
educto longiore gladio, laeuum eius humerum vulne-  
rat, & quia circumfundebatur à Praetoria statim ipse  
cohorte, proripit sese praeceps, ac celeritate barbari  
equi quo vehebatur, inter tot armatos euasit intactus.  
Abisse in Subalpinos ad Sabaudiae Ducem memo-  
rant; ibi saluum fuisse sub Principis tutela, per cuius  
fines, ad futuro mox Gallorum exercitui iter paraba-  
tur. Sfortiam ex tanto periculo seruarat minima di-  
ctures, humilitas nempe paruulae mulae, quam ad il-  
lud suburbanum quasi iter fortè poposcisset. Ea sci-  
licet, equi pariter equitisque assultu, & micante ante  
oculos.

oculos ferro contremefacta subduxit consternatione sua vulneri sessorem , qui ipse humilior, venientes in caput alte iectus fecellit proceritate vulnerantis & leuiter humero caesimque exceptit. Magnus inde metus erat veluti per miraculum viuo & saluo Principi, ne coniuratio ciuium ea potius quam furor hominis venius fuisset; ac vitata vrbe Modoetiam reuersus pauebat etiam ibi umbras, suspectaq; cuncta habebat. Moronus & Columna, ad eius rei nuntios, protinus excitato satellitio turbauere quaestionebus vrbem ; iudiccsque & scribae, importuno suo more confecere volumina , queis confessiones , & indicia multorum inerant, quasi genus omne Vicecomitum , & eis adnexi alij manifestae coniurationis tenerentur. Tormentis enim & carcerum ui, fraudibusque suis cogebant homines ea de se confiteri, quae ne cogitassent quidem; adeo non moliti essent . Re autem vera fuit nihil aliud , quam impetus, & ira Bonifacij illius priuatum consilium , quo, vitae suae discrimen contempst, dum vlciscenda consanguinei nece, solatium animo praesens , gloriam nomini apud posteros quaereret. In eo feroce iudiciorum, Episcopus Alexandriae, frater imperfecti Monsignorini, sentiens in se quoque ire subtilitates & destinata Iudicum , anteuerit vltro, sequre in quaestionem obtulit , ne fortasse violentius duceretur . Nec ideo effugit iniurias ac ludibria fori; & postquam profani Magistratus Episcopum rite interrogauere, lictor etiam iniecit manum , atque in Cremonensi deinceps arce captiuus ille erat . Et Mediolani

Mediolani quidem ob temeritatem hominis vnius casumq; Principis , bellum hoc in fortunas & capita ciuum gerebatur ; hostes verò Galli, iam occupato alpium transitu,bellum vrbi aliud ferebant, ipsi quoq; detecta in Regem suum coniuratione turbati inter se & pauentes, quatenus ille exiceret iras. Quae coniuratio, non facta calumnijs & adulazione Magistratuū, sed magnis & infelicibus Borbonij consilijs instructa tenuerat nunc domi Regem eum , ipsumq; Borboniū relictā patriā fugientem manifestae rebellionis poenas adiunxerat Caesari, & inter nostros postea ducēs ille fuit; nec tamen exitu meliore,quām qui fere transfugas & proditores principum suorum , etiam apud eos, quos anteposuere, sequi consuevit . Galli,superatis alpibus , solita felicitate gentis circa initia rerum, primo statim incursu cuncta trans Ticinum amnē tenuere, mox ipsius quoque traiectu amnis ingenteis & fortunatiniū, ac prope incruenta expeditione, si extrema primis respondissent , ac nisi coecasset eos violentia & altitudo causarum inexsuperabilium,quae solidam vllam vñquam in hac terra contingere Gallo victoriam prohibebant . Nam alioqui tempore eo aperta ad vrbem & obvia cuncta venientibus fuere. Princeps ipse vulnere licet leui debilitatus ob metum, & suspecta coniuratione, animo magis quām corpore aeger . Offensa,& pauida, & irata pleraque nobilitas terrore & acerbitate quæstionis , cùm ob facinus vniuersi inquietarentur . Moenia quoque vrbis quassata passim & fracta superioribus bellis per

KKKKKK crebros

crebros hiatus ruinasque patescenteis aditum hosti  
praebebant. Columna morbo implicitus iacebat;  
qui, siue fortuitus, siue inuectus, ut creditum est, vene-  
no, ultimus certe ei fuit. Reliqui duces eum ob va-  
letudinem adspernabantur, ob summum belli regimen  
oderant. Igitur ipse tantum praesidijs deprehensis  
in eo statu rebus afferebat, quantum poterat & natura  
cunctator ac latus, & moriturus breui. Circa lectu-  
lum huius, habito consilio de summa rerum, ad cete-  
ra discordes, & mutuis odiis infensi, communi animo  
sententiam hanc dixerant, ut relicta Metropoli, ad No-  
uocomum, siue ad Ticinum euaderent fugâ, prout  
hoc, siue illud iter, alterutro venientes Galli vacuum  
opportunumq; reliquissent. In tali discrimine serua-  
uit urbem cunctatio hostium prope fatalis, qui trans-  
gressi celerrime Ticinum, morati deinde circa flumen,  
post aliquot dies ad Claręallis Monasterium transtu-  
lere segniter castra. Ibi, triginta millibus armatorum,  
occupatis late campis, & circummissso ad Modoetiam  
quoque minore exercitu, ne quid commeatuum alicun-  
de veniret, decreuerunt expugnare lenta fame urbē,  
quam sine mora villa capere potuerant, si, quemad-  
modum à Caesarianis factum antea erat, quo venerat  
die, intrare apertam desperatamq; voluissent. Obsi-  
dionis mala cito vertēre in ipsos, itaut, Mediolani  
rum ex ante praeparato suppeteret annona, tum  
equites nostri egressi praesidio ad ea, quæ suppor-  
tabantur, secundis etiam aliquot certaminibus af-  
fligerent Gallorum equitatum, eiusq; detrimenti fama

Gallum

Gallum imperatorem inter suos vexabat. Simul Heluetij, qui in eo exercitu erant, ob frigora tumultuantes, perpulere, ut castra retro Ticinum versus moyeret, aegre cohibitis nostris, quominus terga abeuntium lacerrent; quod si factum esset, non dubitant, quin torpida, & rigentia membra aegre molientes, atq; profec-tionis etiam eius ignominia consternatos (& erat ni-ualis forte dies) opprimere Caesarianus exercitus po-tuisset, recens nimirum ab urbanis hospitijs, unde spe optima & ignium tempore alacer in pugnam iret. Sed Columna, praeterquamquod cautus natura & latus tutu consilia ex ratione, quam prospera ex euentu sem-per maluerat, etiam tabe morbi, & pauore supremorum alienatus fere a communi sensu, abnuit discri-men, et sicuti vocibus poterat intermortuis, differuit pauca in eam sententiam; contentos ipsos esse debe-re, quod cunctando & fedendo abire prope a moeni-bus hostem coegissent. Galli, quacunque irent, ferro & igni cuncta permiscenteis, incenso Rosato munici-pio, praedati quicquid obuium fuerat, ad Abia tum constitere, qui locus quatuordecim millia passuum ab urbe est; & quia satis validam, ut tunc erant munimenta, arcem habebat, idoneus visus, ubi noua auxilia Heluetiorum, quae mittebantur ab Rege expectarent. Ferme sub id tempus, quo Gallus Imperator reducto ab Claramalle ceterisque suburbanis locis exercitu, & amissa occasione capienda vrbis, nullum nisi tristē de tota expeditione nuntium mittere ad Regem po-terat; Cardinalis Medicaeus, qui ipse in parte foede-

KKKKKK 2 ris

ris aduersus Gallos initi, Leonisque animorum heres fuerat, Pōtifex Max. renuntiatur. Id accedit quinque-simo die, postquam Adriano mortuo, Patres intra con-clave abditi, studia sua, & altercationes, & astus con-sumpferant in ea re, quae diuino semper nutu peragi-tur; & mores negotiationemq. mortalium excelsa Nu-minis benignitas ac prouidentia admittit illuc, vnde tamen mortalitas tota arcetur. Nec sane Cardinales antea in vlo alio Pontifice tam intentis animis alterca-tierant. Creatus hic, Clementem V I I. dici se voluit, vel appropinquante celebritate Diui eius, vel, vt no-minis mansuetudine spem omnibus faceret, nullius offensae, nullarum sese inimicitarum memorem, pa-terno in genus humanum spiritu noua ineuntem itinera-vitae, capessere fastigium illud. Nota tamen erant, & celebrata sermonibus, in Caesarem fauor, in Gallos a-lienatio, studium rei Mediolanensis, & foederis neces-situdo, quo sese olim vrbis eius causa illigasset. Ea Mediolanensisbus, & defensori Mediolanensium Hi-spano spem animosq; addiderant, Gallorum genti in-cusserant solitudinem atque inuidiam, & moerorem, si semper infensum sibi, semper Hispanae factionis Pon-tificem habituri essent. Super omnia, vrebant animos recordatio Leonis odiosa genti, quod eo scilicet Pon-tifice aduersus Regem Franciscum ineunte foedera, pontificatus opes ad arma conferente Hispanorum, electi Mediolano essent, quam nunc frustra repetentes vrbem, in hostili terra conflictarentur. Pontificis nem-peius consanguineum, gentilem, heredem, spiritus

ani-

animosq; retulisse eosdem, imbutum esse consilijs illius, & pari cupidine tollendi in perpetuum ex Italia Gallicum nomen, ne ad recuperandam vrbem Mediolanum adspirare vñquam possint . Eadem apud Regem Franciscum quamquam falsa agitabantur . Hunc etiam angebat conscientia dati per ipsum veneni, vel certe, credito, tamquam dedisset. Successorem simul & vltorem adesse . Mediolani moritur ijsdem diebus Prosperus Columna, veneno amatorio, sicuti creditum est, illigatus, mānsitq; inter annalium monumenra Clarae meretricis nomen, quae deperierit virum . Eam Boniueto quosq; cordi fuisse, adeo, vt cum ab Clara- ualle moturus castra esset, miserit in vrbem Galeatium quendam, qui viseret feminam, ac de inclyta pulchritudine eius comperta & spectata oculis referret . Colūnae morte, summa rei militaris redierat ad Carolam Lanoiam, qui Neapoli pro Rege erat; iamque ille ob Gallorum aduentū & Columnae valitudinē prouinciae metuens, delegatā Regni curā alijs, profectus inde cum valida equitum peditumque manu aduentabat, ita moderans iter, vt ne prius ingrederetur urbem, quām Columna, qui iam nulla in spe trahebat animam, expirasset . Id honori hominis dederat, caueratque laudabili modestia, ne propere intrando paecepisse imperium, & viuenti quodammodo ducere voluisse fūnus videretur . Paulò post Borbonius ipse aderat transfuga Regis Galliae sicuti dictum est, nouus Caesaris amicus, anxia sedilitate ad probandam ostentandamq; fidem, ne intentis in se totius aulae oculis & susurris, vl-

la,

la, vel actione, vel voce, vel motu vacillans ambiguue reperiretur, vtque probaret omnibus hoc ipsum, quod à priori aula, non ingenij vitio, sed coactus inuitusque descuiisset. Viciissim Caesar absens, & occulto eius nutu Sforcia, & Lanoius, & Daualus, ceterique intenti, nè proditor obseruari sese intelligeret, neve intelligere ipsi, aut meminisse viderentur illud, quod sui Regis desertorem in exercitu haberent. Inde liberalitatis & diligentiae certamen, qualia solent initia esse omnibus, qui transire ad hostem. Borbonij transitione huius, aduentu Lanoiae, foederatorum auxilijs, exercitus noster, cum, & ducibus, & milite instructus egregie esset, diuiditur bifariam, & parte relictâ vnâ ad custodiam praesidiusq; vrbis, ceteri Ticinum transeunt ad ea recuperanda, quae hostes ab repentina alpium transitu tenuerant; ipsi statim ad eadem defendenda concurrunt; pugnabaturq; leuibus praelijs, quorum taedio, & damno Boniuetus ad vniuersam rei distinctionem venire concupiuit. Sed detrectauere nostri, non quòd animis, aut ylla virium parte inferiores essent, sed quia ferociam imitari Gallorum nolebant, quos fatigari & dissolui, compellique domum posse cunctando spes erat, sicuti etiam euenit. Boniuetus ingentia de se principio pollicitus Regi, ipso etiam expeditionis initio non infelix, mox occasione felici improuide abusus, fessus postea rebus ambiguis, siue infautis, relinquendae Italiae consilium cepit, rediens que in Galliam, nullius bene gestae rei gloriam ad Regem ex prouincia Mediolanensi tulit, nisi quòd quatuor-

tuordecim millia nummūm autōrum, quae Caesar ad exercitum mittebat, intercepisset. Abēentes Subalpina Regione Gallos, qua etiam irruperant via, Eporōediam vsque persecuti nostri, partem impedimentorum, & plerasque bombardas relinquere coegerunt. Quomodo etiam conuertere agmen, atque in aciem adiustere coegerent, ea res obstitit, quia, nec totus exercitus ductus erat ad persequendū, & Venetorum auxilia, simul atque fines Sabaudiae Ducis attigerant, negauerunt habere se id ab Senatu suo mandatum, ut in ea terra vestigium ponerent, ideoque progredivlterius recusauere. Boniuetanae expeditionis in Mediolanenses exitus hic fuit, cuius infortunio Rex Gallus irritatus, abruptis quae obstabant, venire ipse Mediolanum, & fortunam experiri decreuit. Quod decretum atque consilium optimi & generosi quidem, sed in re ista Mediolanensi semper infelicitis Regis, qualia rerum humanarum, & fastigij regalis ludibria ediderit, postea narrabitur. Iuuenemq; Regem, post pristinos infelices conatus, toto nunc potentiae suaē molimine ingressum feliciter Italiae fines, capta statim vrbe Mediolano, cetera obsidentem, & Neapolitanī quoq; Regni iam prope dominum, mox dum suo corpore miscet certamina, sternitque hostes, in medio feruore pugnae, suffosso equo stratum humi, captiuum inde, & per alium aliumque carcerem ductum in viatoris Caesaris aulam, cum vetere nouoq; regno factum alieni iuris, vitam denique & spiritum ab hoste deprecantes exhibebo. Sed prius exponam Vrbis nostrae casum lō-

ge

ge foediorem etiam, quam ille hostis Regis fuit, exorta scilicet interim pestilentia, quae, dum Rex ille ab domo exercituum mouet, dum transit alpes, dum expedito agmine aduentat, sine telo, sine sanguine, tabe funeribusque debellauerat urbem, & venienti infesto Gallorum exercitui, reliquias ciuium quasi deuinatas & ligatas, patefactis moenibus, ac remoto omnipotarum obijce obtulit. Initia mali ad Abiatum, quo Boniuetus ab Claraeuallis Monasterio cum exercitu sese contulerat, extitere. Inde, breui confinio, facile que traieatu peruenere in urbem, & corripiere cuncta, manante scilicet paulatim per corpora, per domos contagione rerum earum, quas sordidi, & marcidi putrefacte Galli, cum inde pellerentur, reliquerant. Ac primò quidem, milites nostri, rerum earum contactu, & aegri erant, & moriebantur. Postea, qui curant eos, quiue inuisunt, aut ministerio aliquo contrectant, propinqui, familiares, amici, etiamsi nihil aliud, quam spiritum habitumue communicarant, commercio illo trahebant luem, atque ad alios deinde perferebant. Hi rursus, alloquio vel adspectu contaminabant plures, & à pluribus ad vniuersos permeante morbo, citius quam credi posset, vrbis tota exhatiebatur, populusque morientium erat, iacente passim alio mortuorum populo, cum ne solita quidem sepeliendi cura manaret erga id, quod semper ab superstitione oculis & communis luce submouetur. Haec ipsa iniuria cumulus alimentumque mali erat. Iacebant enim strata per vias, perq; vacuas domos cadauera, & similem exitum expectan-

pectantes eos, qui supererant, pestifero odore, nec minus tristitia, & praesentis imagine mortis, ut in eosdem ruere aceruos quamprimum cuperent, quod vnicum remedium calamitas ipsa afferebat. Interciderant sensus humani commercia; & quos tabes illa infecerat, aut neglecti deserti, moriebantur, aut, si quis assidere voluerat, fiebat ipse ceteris exemplum ne cunctaretur adsidere quisquis mori, & finire miserias vellet. Neq. solita effugia dabantur in villas amoenosue secessus, cum etiam illi qui rure agebant, conditioni vrbani inuidarent, ac proripere sese eodem conantes caderent in itinere ipso, & cadavera sua, ceu fugae vestigia infelicit spargerent. Moriendi tamen celeritas, agrestibus iuxta, & vrbani, leuamento erat aduersus rerum omnium egestatem, cum tota ciuitas, & vicina pariter ac longinqua rura, per aliquot iam annos, inter maximorum exercituum, lingua moribusque dissonas, licentia & rapacitate simillimas gentes, spoliata, & exhausta, & vastata, ne vulgaribus quidem & quotidianis alimentis sufficerent, adeo pharmaca, haustusque delicati, & mollior aegrotantium vietus deesset. Vix ampli negotiatores, & olim opulenta nobilitas, ob recentium bellorum iniurias deserto agrorum cultu req; coarctata familiari, pestilenti illo tempore propulsabant famem. Egens verò semper populus, & miseria pauperum multitudo contabuerat fame nisi velocius aliud malum remedio esset. Et miserabilis adspectus interea erat manducare volentium inimica palato, & in ipso manducandi conatu ob pestem alteram

L11111 exem-

exeunte vita. Sed & aliae tristiores formae mortis trahuntur, quas referam, ut ex comparatione temporis eius agnoscat omnis populi Mediolanensis aetas, quanto mitius in se agat Numen. Neque enim talia exempla celestium irarum, vel rediisse vnuquam, vel in posterum redditura esse arbitramur. Vna nec inhonestata domus fuit, quae ante illam pestilentiae calamitatem, ab Gallo violentiam & rapinis, ab Hispano tributis, & immodico exactiorum pondere afflita, nuditatem & famem aegre tolerabat. Vbi grassari morbus totamq; depopulari urbem coepit, domum etiam hanc irruit inter primas, scilicet affectis iam corporibus animisque, & paruo illo sordiduloq; grege conferto intra angustias humilis tecti. Omnes ibi exanimes ab ijs, qui forte ingressi erant, reperti sunt, sed alius alia facie lethi melioreq; postea ciuitatis statu celebrata sermonibus res digna est visa pictoribus, qua certatim exprimentia specimen gloriamq; artis ostentarent. Collapsa repente retro mater fregerat illisunū paumento caput, & fusa per plagam viscera cernebantur. Duo lactentes adhuc infantes, nullo materni casus intellectu adrepserant ad notas sibi papillas, & emortuo illic lacte irriti mordebat alimenta sua siccatosq; fontes, & spiritum ultimum morsu exhalabant; cetera grandiuscula, & propter aetatem tamen secura proles circumfusa mortuae parenti, aut mandendo simpliciter teredoque dentibus aliquid expirarat, aut incertum relinquebant in adsipientium animis, contagio, an fame expirassent. Ac deforme dictu; liberorum pater, mulieris

lieris maritus, victo malis animo, cunctantem mortem  
vltro accersierat, vitaeq; suae attulerat vim, & pen-  
dente ab ingulo nodum notauere, quo se se exani-  
marat. Talia viderat retuleratque vicinorum aliquis  
funestam eam forte domum ingressus; casusq; ille a s-  
uetudine quotidiana horribilium spectaculorum,  
quamdiu manebat pestis, in leui habitus, vbi haec a-  
bierat, salute verbi redditu, in nouo deinde populo,  
materies, vt dixi artificum etiam ingenij fuit. Ple-  
raque alia generis eius, & narrabantur ab ijs, qui pu-  
blicae cladi superfuerant, & inde audita scriptores e-  
tiam litteris mandauere. Vigiles, qui excubias in arce  
agerent, exanimes in fossam esse delapsos; praefe-  
ctum ipsum arcis, dum circuit muros, custodiasq; obit,  
repentino pestilentiaeictu praecepitatum, absumptum  
illic praesidij robur, vt nisi propugnaula, & bombar-  
dae, & turres, & portae cataraetae conspicerentur, ni-  
hil fere arcendo & deterrendo hostiib; esset. Senato-  
res, & principes vrbis, quosue alios, in tanto suae vitae  
discrimine cura aliqua publicarum rerum attingebat,  
dum congregantur vtiq; ue consultandi causa, dum sen-  
tentias dicunt, dumve ab inconsulto illo concilio re-  
deunt domum, infimae plebis sorte corruentes, siue do-  
mi manserant, pari exitu, reliquerant fere absque re-  
gimine vrbem, & quibus saeuitia morbi pepercera-  
t, confuso iam nobilium ignobiliumque discrimine, au-  
toritas nulla eis, & prouidendi iubendie quicquam  
irritus labor. Dum cadunt atque coaceruantur pro-  
miscue clari simul & obscuri, virorumque & femina-

L11111 2 rum

rum cadavera sine ullo intuētium pudore iacent pāssim  
ita ut naturae simplicitas & miseria sese habet, ipsi e-  
tiam inter se viui nihilo plus pudoris ac verecundiae re-  
tinebant. Tamquam mox amissuri vitam, ad id quod a-  
derat praesensque erat, desperate & inuercunde ple-  
riue ferebantur, & certa ante oculos mors, quae su-  
premi iudicij terrore flagitia inhibere debuerat, eadem  
erat yclut illico morituris incitamentum, ne scilicet v-  
surpare cunctarentur lasciuias, à quibus in perpetuum  
abirent. Valuit apud alios obiecta oculis animoque  
species dissoluendae mortalitatis, futurae vermis ali-  
mento, & abiturae in vermes, quodque longe terribi-  
lius, os immane Orci, praesens tartarus, sempiternæ  
flammæ, & ex diuerso, beatioris vitae praemia, quo-  
rum spe ac meditatione multi innoxie sancteque age-  
bant; taliumq; pia facta & mortes ipsae nobilitauere  
deformem eum annum. Nam diuino vere spiritu fe-  
minaे virique, pedibus nudis, cincti funibus colla, &  
voluntario frequenti verbere fundentes ab humeris  
sanguinem, exposcenteis flebili voce celestem veniam  
adibant tempa, interimq; tamen vrente intus peste  
absumpti nonnulli eorum cadebant, testatis splendore  
oris, quod eiusmodi morte vitae poenis eximerentur  
in celum, nec poena sed praemium ipsa esset mors.  
Iam inclytae animae subsidia urbis, apud suum pars  
utraque sexum, functæ erant Apostolico munere, ci-  
bos & hortamina egenis tulerant, quid post mortalem  
hunc spiritum reliqui esset, docuerant ignatos, siue  
nihil tale cogitantibus iniecerant alterius uitae curas,  
spemq;

spemq. aut metum. Iam ueteris quoque Tobiae erga  
insepultos studio & caritate, quantum potuerant in tan-  
ta strage assequi, per se, per alios adlaborarant, ne cor-  
pora exanima in publico & aperto putrescerent, & pa-  
stores isti haud dubie Vrbis in tali tempore fuerant.  
Nam absente, sicuti dictum est Archiepiscopo, mer-  
cenarij ministri, quibus interim Ecclesia commendata  
erat, minime mouebantur animarum clade, ac sicuti  
lupo superueniente, custos alieni gregis dāt im-  
pigre terga, deseritque nihil ad se perti-  
nentes ouiculas, ita conductitij illi  
curatores, nulla alia quam far-  
cinarum & peculij sui so-  
licitudine ad prima  
pestilentia  
**signa, sublatis callide rebus**  
**abierant domum.**



**JOSE**